CHRISTIANI ADOLPHI KLOTZII

AVCTARIVM IVRISPRVDENTIAE NVMISMATICAE

A

CAROLO FERDINANDO HOMMELIO

EDITAE.

LIPSIAE,
APVD IOANNEM WENDLERVM
MDCCLXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

CLARISSIMO

CAROLO RENATO HAVSENIO

OPTIMARVM LITTERARVM

DOCTORI LIPSIENSI

S. P. D.

CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cui obſtetricias, doctiſſime animoque meo chariſſime HAVSENI manus admouere voluiſti, pro naturae TVAE benignitate amoriſque in me abundantia, qui ita ſemper in animo meo erit fixus, vt illius memoria mihi viuo nullo modo eripi poſſit, cuiusque plurimis documentis editis dudum effeciſti, vt plane TVVS eſſem, id eſt non ſolum praeclariſſimarum TVARVM virtutum, ingenii, doctrinae, integritatis, perpetuus praeco & admirator, ſed etiam amiciſſimus tui homo, quique & amari a TE ſemper

)(2 cupe-

cuperet, & TE ea omnia a ſe exſpectare iuberet, quae a coniunctiſſimis exſpectentur & proficiſci ſoleant, illius igitur libelli vltimas ſchedas, quas vbi conſpexeris, vereor ne dicas idem, quod ille apud poetam:

An obſecro hercle! habent quoque gallinae manus?
Nam has quidem gallina ſcripſit.

TIBI mitto, atque vt iis eandem, quam reliquis, operam praeſtes, oro. Qua quidem in re intelligo TE & deſiderio noſtro & ſpei ſatisfacturum eſſe, quam vero ab aliis gratiam relaturus, aut quam iucundam iisdem rem acturus ſis, ipſe videris. Quid enim cenſes dicturos eſſe Iuris-

pru-

prudentiae amatores & cultores, vbi me cognouerint, qui, molle otium & tranquillitatem vitae ſecutus, omnem aetatem inter HOMEROS meos & VIRGILIOS & FLACCOS conſumſerim, atque, ſi etiam ab his oculos deiecerim, immenſa ACCVRSII & BALDI opera non aliter conſiderauerim, ac ſolemus e vetuſtis aedificiis prominentes Gothorum immanes auſus conſiderare, me igitur iſtos ſuos amores non ſolum diligere auſum eſſe, ſed parum etiam caute hunc meum ardorem celaſſe? Puniendum eſſe pronunciant ICti, qui virgini inuitae oſculum dederit legibusque olim ſeuerior ſupercilioſorum ſenum aetas iu-

cundam libertatem coercuit *). Neque enim illi fortaſſe cognouerant idonei magiſtri praeceptum:

Vim licet appelles grata eſt vis iſta puellis
Quod iuuat, inuitae ſaepe dediſſe volunt.

Quanquam quis neget illos, vt ſunt interdum mirifice acuti & ſagaces, reddidiſſe probabilem legis cauſam **)? Poteris vero, quam lepide illi rem diuinauerint, meo ipſius exemplo intelligere, qui cum vix amare coepiſſem pulcherrimam Iurisprudentiam illique aliquot oſcula ſurripuiſſem, ecce! prodito-

*) vid. *Georg. Adami Struuii Syntagma Iur. Ciu. Part. III. Exerc.* 48. p. 846.

**) PETR. MVLLER in *addition. ad Struu. p. 830. ratio eſt, quia oſcula habentur pro praeparatoriis rei venereae & proaemio adulterii.*

ditorem habes & teſtem clandeſtini amoris, non quidem quales olim querebantur bonos ſacrificulos edere, gradientes ſuper terram *), ſed dias tamen in luminis auras prodeuntem. Quid igitur agam? aut cuius auxilium implorem? Conciderem profecto animo & frangerer, niſi vna me res erigeret & conſolaretur. Non verba ſolum & folia pronos in annos mutari

 aiunt

*) Vid. LVDEWIGII ſcriptor. Bamb. T. II. p. 618. in ſynod. Stargard. a. 1492. *Granem accepimus querelam a praeſtantibus nobilibus & quam plurimis honeſtis viris de concubinatu Clericorum, quod quidam presbyteri mulieres habeant, cum quibus timore Dei poſtpoſito, continuo conuerſentur, in collatione ſimul in vna menſa comedentes, tanquam ſe iungentes perpetua manſione & ſimul colligantes ſic ſe habentes, vt quos diabolus coniunxit, homo ſeparare non poſſit, procreantes animalia ſuper terram gradientia* &c.

aiunt, ſed mores quoque alios interire & obſoleſcere, vigere alios & eorum in locum ſuccedere. Triſtius nunc eſſe videretur prodigium, ſi mulier iuuenem ob ereptum oſculum, in ius vocaret, quam quando olim lapidibus pluit, aſinus triceps natus fuit, aut mures in aede Iouis aurum roſerunt.

Quaecunque eſt ſubita Veneris violata rapina
Gaudet: & improbitas muneris inſtar habet.
At, quae, cum cogi poſſet, non tacta receſſit,
Vt ſimulet vultu gaudia, triſtis erit.

Quidni igitur credam Iurisprudentiam quoque remiſiſſe de priſtina ſeueritate & tempori inſeruire didiciſſe? Certe non mihi vnquam perſuaderi patiar, eam Deam,

quam

❀ ❀ ❀

quam tot homines amare video, quos nemo ferreos aut parum aſtutos dixerit, ignorare, quid deceat deam, quid dignum ſit mulieris elegantia. Quae cum ita ſint, poteris tuto, chariſſime HAVSENI, chartas has tradere WENDLERO noſtro, qui illas comites addat HOMMELIANO operi: licet huic nullum alium vſum praeſtent, quam quem vmbra in picturis. Nam addam nunc bona TVA cum venia quaedam de conſilio, quod in hoc libello ſcribendo ſecutus ſum. Facit profecto amor erga TE meus me loquaciorem, quam fere alia negotia permittere videntur, nec reiicit TVA beneuolentia verboſiorem epi-

)(5 ſtolam

ſtolam. Quid ego de illuſtri HOMMELIO ſentiam, cum aliquoties profeſſus ſum tum TV minime, ignoras. Fuit vero ſemper ſententia mea haec: (non loquar nunc de iis virtutibus, quibus cenſetur humanitas: non de amabili modeſtia & φιλανθρωπίᾳ, de iucundiſſima comitate, de honeſtate, de liberalitate. Loquor de viro docto) eſſe illum Academiae Lipſienſi, patriae noſtrae communi, Iurisprudentiae litterisque ſingulari ornamento. Quid enim illius ingenio amoenius, iucundius, elegantius? quanta in illo eruditionis copia! quae omnis antiquitatis, philoſophiae, hiſtoriae, humanitatis ſcientia! quae rerum publicarum

rum

rum cognitio! Illam vero facundiam viri optimi, illa ingenii lumina, quibus omnes, quos ſcripſit, libros diſtinxit, eos lepores facetiasque, quibus affluit ipſe, nunquam ſatis mirari potui, quoties cogitaui negotiorum, quibus premitur, multitudinem, & laborum moleſtum numerum, quibus ingenii ille flos laetiſſimus quomodo non obruatur & exſtinguatur illaque acies obtundatur? Habes meum de viri integerrimi eruditione iudicium.' Nunc propius accedam & de Iurisprudentia numiſmatibus ab illo illuſtrata dicam. Copioſius de hoc libro expoſui alio loco; nunc hoc tantum dicam. Adeo mihi placuit repetita libri

lectio,

lectio, vt, quod iam olim agitaueram animo, conſilium renouaret ſimilis argumenti libellum edendi. Cum vero excuterem copiolas meas, animaduerti quas partes mihi ſumſeram, eas praeoccupaſſe admirabilem viri doctrinam. Pauca tantummodo capita a me notata eſſe intelligebam, quae ille non attigit; non, quod neſciuerit ea, (nam non ferendus eſſem, ſi hac in re me plus videre crederem viro doctiſſimo) ſed quia forte illa ad duo reliquos libros exornandos iſtis obſeruationibus ſepoſuerat. Quae igitur antea paucis, vt ſolet fieri, verbis memorata a nobis eſſent, ea paullo copioſius explicare lubuit. Hinc nata eſt prima noſtri

ſtri libelli pars. Alterius eſt eadem origo. Nam licet viderem monimenta quaedam illum iam exhibuiſſe, quae me quoque daturum eſſe olim ſperaueram, putaui tamen me non rem plane inutilem facturum eſſe, ſi, vnde illa repetita eſſent, indicarem. Nam & in re hiſtorica teſtium fides & auctoritas adhibenda eſt, &, qui curioſius aliquod caput examinare voluerint, aliorumque etiam opiniones & interpretationes cognoſcere, nunc ſcient, quos adire debeant quosque conſulere. Haec mihi agenti venerunt alia quaedam in mentem. Nam aut ſimilia monimenta recordabar, aut diſſentiebam de quibusdam a viro docto, quod

eo

eo minus me poenituit feciſſe, quo certius noui in bonam partem hunc diſſenſum acceptururum eſſe virum, qui omnis humanitatis exemplum eſt quemque de meo cultu non dubitare ſcio. Illa igitur omnia digeſſi, ad caput quidque ſuum retuli, &, licet non ornatiorem, tamen vtiliorem, certe tironibus, hoc qualicunque ſtudio, iſtum librum reddere conatus ſum. Totum vero noſtrum libellum ſi magis a labore, quam ab ingenio, & ab vtilitate potius, quam vni alteriue afferre poſſit, quam a nouitate rerum, laudandum eſſe, cenſueris, & mecum facies & Ioue aequo iudicabis. Scito praeterea: me & ipſum intelligere & fateri lubenter,

nullo

nullo modo eum comparari debere cum praeſtantia libri HOMMELIANI: cuius ingenii elegantiam quotusquisque ſe aſſecuturum eſſe ſperare poteſt? Ego vero & hoc, & alio, cuius argumentum ex interiore Iurisprudentia repetitum eſt, libello perfecto, ad nutrices meae adoleſcentiae dulciſſimas ante omnia Muſas, redeo:

Mihi flauus Apollo.
Pocula Caſtaliae plena miniſtret aquae.
Suſtineamque coma metuentem frigora myſtum
Atque a ſollicito multus amante legar.

Tv vero, mi chariſſime HAVSENI, vale &ſperge eam Academiam ornare TVO ingenio & doctrina, cuius iam olim pater

TVVS

TVVS ſummum decus fuit, & in qua me vixiſſe nunquam poenitebit. Librum ipſum, quam primum ille perfectus fuerit, trade, quaeſo, illuſtri HOMMELIO, quem licet TE valde amare ſciam, TIBI tamen non concedo, vt eum me aut pluris aeſtimes aut vehementius ames. Iterum vale.

Scripſ. Gottingae d. XX. Nou.

1764.

PARS

me

m,

de,

li.

er.

li.

le.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google



p.1.

PARS I.

CAPVT I.

De lege Porcia.

Eſt quantiuis pretii numus, qui inſigne Porciae legis teſtimonium exhibet, eiusque legis memoriam luculenter poſteritati tradit, cui inter eas, quibus libertas, dignitas & ſecuritas populi Romani munita & confirmata fuit, praecipuus locus eſt tribuendus. In adverſa parte eſt galeatum Romae caput cum epigraphe: P. LAECA. ROMA. in auerſa conſpicitur homo militari habitu, inter duos alios ſtans: a dextra habet hominem togatum, ſiue ciuem Romanum, a ſiniſtra lictorem cum virgis: ipſe vero ſupra caput ciuis Romani manum extendit.

Subtus legitur verbum PROVOCO.[a]). Quis vero hic non agnoſcit monimentum praeclariſſimum legis, quae virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amanit, libertatemque ciuium omnium lictori eripuit? Iam adeſt lictor: iam virgis minatur; iam caedere velle videtur reum, ecce! prouocat hic, &, *ciuis Romanus ſum* [b]), dicit, eaque ſola voce, quae ſaepe multis in vltimis terris opem inter barbaros & ſalutem attulit [c]), tutum ſe praeſtat, ſolaque hac ciuitatis commemoratione omnia verbera depellit. Quemadmodum vero Porciam legem Semproniae, a C. Sempronio, Trib. pl. latae, ſecutae ſunt [d]): ita, ne durius animaduerterent magiſtratus in ciues, latae

a P.

a) Exſtat hic numus in ANTONII *le Pois Diſcours ſur les Medailles & Graveur. antiques.* Tab. L, n. 6. in PATINI *Famil. Romanis.* p. 228. in *Theſauro Brandenburg.* T. II. p. 578. in VAILLANTII *Numiſm. Famil. Rom.* t. 118. in GORLAEI *Theſ. Num. Rom.* T. 30. n. 8. in SPANHEMII *Diſſ X. de Vſ. & Pr. Num.* p. 200. in *Theſauro Morelliano* ſ. fam. Porc. n. 2. in *Numiſm. Bodleiani* t. 8. in *Numiſm. Muſei Pembrochiani.* P. III. t. 88. confer. SVARESII *Diſſertat. de Numiſmat.* c. 15. pag. 42.

b) vid. CICERON. in *Orat. pro C. Rabirio* c. 4.

c) vid. *contra Verrem.* L. V. c. 57. 62. 63.

d) *contra Verr.* L. V. c. 60.

a P. VALERIO Poplicola Conſule VALERIAE leges, quibus prouocatio ciuibus a magiſtratu ad populum concedebatur [e]). Atque haec lex, variis modis patriciis eam impedientibus ter poſt reges exactos lata eſt: quartum vero de prouocatione rogauit P. PORCIVS LAECA, eaque lex grauem poenam irrogabat verberaturo aut necaturo ciuem Romanum [f]). Non inepte hanc legem viri docti A. V. C. DLVI. tribuunt: illius vero argumentum omnemque vim optime explicuit LIVIVS [g]). *Porcia, lex ſola, pro tergo ciuium lata videtur, quod graui poena, ſi quis verberaſſet necaſſetque ciuem Romanum, ſanxit.* Etſi autem aliquot PORCIOS LAECAS fuiſſe conſtat, recte tamen HAVERCAMPIVS [h]) rationes ſubduxiſſe videtur, qui diligenter de Porciis expoſuit. Nobis denique ideo inprimis hic numus magnificandus videtur, quia eo clariſſime refutatur eorum opinio, qui Porciae legis de prouocatione auctorem faciunt M.

e) vid. DIONYSIVM. L. V. p. 292.
f) conf. SIGONIVM *de antiquo iure Civ. Roman.* L. I. c. 6. p. 87. ſeq.
g) L. I, 9 4.
h) ad *Theſaur. Morellian.* p. 351.

PORCIVM, CATONEM, CENSORIVM, in qua opinione eſt MANVTIVS [i]). Nam ſatis hic numus, cui illa debeatur, oſtendit. Sed tota haec res concideret, ſi probandum eſſet ſomnium HARDVINO neſcio an e porta eburna oblatum. Dedit hic ineptiarum pater aeternus numum noſtrum ad PLINIVM [k]) & his verbis interpretatur: „Hic LAECAM neſcio quem „pingi multi imprudenter ſcripſere, & de pro„uocatione agi populo Romano data. Atqui „ſententia haec ibi ſub iſtis litteris latet: P. „LAE*lius* CA*to* PR*actor* O*mnium* V*otis* O*rdi-* „*num* CO*nſtitutus*, id quod ipſa numi pictura docet„. Quid vero eſt magno conatu nugas agere, aut, ſi licet verba fingere, ἀ̓ῤδουειν(ζειν, ſi hoc non eſt? aut, ſi ita agere licet, quam facile eſt, e quouis quiduis, e deo diabolum fingere, vt de quorundam in notis & ſiglis interpretandis, Iureconſultorum audacia & temerirate dicere ſummus BYNCKERSHOEKIVS ſolebat [l]). Vtinam

i) *de legibus Romanis* p. 37. (edit. Venet. 1557. fol.)

k) *Hiſt. Nat. Tab. VIII.* in comment. T I. p 721.

l) vid HERM. NOORDKERK *Obſeruat. Decad. in quibus var. Iur. Rom. capita exponuntur.* p. 7. ſq.

nam pro his ineptiis illud operam dediſſet HARDVINVS, vt, quae alicui hiſtoriam Iuris ſcrutanti, etiam in hac re ſuboriri poſſint, difficultates remouiſſet. Nam, quod ad prouocationes attinet, SVETONIVS m) narrat, Auguſtum vrbanorum litigatorum prouocationes praetori vrbano n), prouincialium conſularibus viris, quos ſingulos cuiusque prouinciae negotiis praefeciſſet, delegaſſe. Idem & NERONEM o), vt, omnes appellationes a iudicibus ad ſenatum fierent conſtituiſſe, & CAIVM CALIGVLAM p) magiſtratibus liberam iurisdictionem ſine appellatione conceſſiſſe memoriae prodidit. Quae quidem repugnare videntur aliorum hiſtoricorum narrationibus. Nam & MESSALINVM ad TIBERIVM prouocaſſe TACITVS narrat q), & idem NERONEM r) appellatum eſſe ſcribit; ad CALIGVLAM vero frequenter appellatio-

 nes

m) in AVGVST. c. 33.

n) CASAVBONVS mauult. *praefecto vrbis*, rectius, vt puto.

o) in vit. NER. c. 17.

p) in vit. CAL. c. 16.

q) *Annal.* L. VI. c. 5.

r) L. XIV. ibid. c. 8.

nes factas eſſe e DIONE CASSIO [s]) diſco. Neque mihi vllo modo probabile videtur, Imperatores, qui tribunitiam poteſtatem haberent, hoc iure carere voluiſſe. Loquiturne fortaſſe SVETONIVS de leuioris negotii rebus? an iterum eos Imperatores eripuiſſe magiſtratibus poteſtatem credibile eſt, quam, vt gratiam captarent populi, illis concesserant? Quid ego cenſeam, quaeris, mi bone? N. L.

s) L. LIX. p. 654. ἐδίκαζε δὲ καὶ ἰδίᾳ καὶ μετὰ πάσης τῆς γερουσίας, καὶ τινὰ καὶ ἀπήνη καθ' ἑαυτὸν ἔκρινεν. οὐ μέντοι καὶ εὐτοτελὴς ἦν, ἀλλ' ἐφέσιμοι δίκαι ἀπ' αὐτοῦ ἐγίγνοντο συχναί.

CAP.



Digitized by Google



5.P. 3.p. ad p. 7.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

CAP. II.

Aqua innocentiae olim teſtis.

Vidimus, & iuuat vidiſſe, TVCCIAM Dreſdenſem, quam ſi pulcherrimam virginem eſſe, dixerim, ſi me illam amaſſe addiderim, vix fore quemquam arbitror, qui illud aegre ferat, aut dulciſſimae vxoris animo ſuſpicionem aliquam iniiciat. Immo in memoriam illius adſpectus nobis reuocauit eorum temporum, quibus falſa religionis ſpecies hominum imbecillitatem occupauerat, animosque oppreſſerat, ſuperſtitionem, quae ad innocentiam reorum explorandam variis modis miſere abuſa fuit. Quis neſcit iudicium ignis? adhibebantur vomeres igniti, plerumque nouem, interdum etiam duodecim: candentes chirothecæ, prunae & rogi. Vomeres calcaſſe KVNIGVNDAM, HENRICI II. Imp. coniugem, cuius maritus forte non oculis captus fuit, cum videret e cubiculo prorepentem diabolum, ſed talem, cuius ſocietatem multi mortalium non abnuerent, calcaſſe etiam EMMAM,

EDVARDI Confeſſoris matrem: tuliſſe RICHARDAM, CAROLI III. Imp. vxorem: HERALDVM, vt Magni Noruagiae regis filium ſe oſtenderet, per prunas ardentes ambulaſſe: BRICCIVM, Turonenſem Epiſcopum, ſtupri accuſatum, prunas veſte ſua inuiolata vſque ad MARTINI ſepulchrum tuliſſe, narrant, vere an falſo quid ad me? certe quid ad hoc tempus? narrant tamen. Porrò homini criminis cuiusdam ſuſpecto, in primis ſi e clericis eſſet, dabant offam iudicialem, id eſt, caſeum & panem hordaceum, diris cum deuotionibus, vt, ſi reus eſſet faux eius clauderetur, guttur ſtrangularetur, & ante eiiceretur offa, quam deuoraretur. Armis quoque & duello putabant innocentiam oſtendi poſſe, & ſi duo aut tres aliquem de furto accuſaſſent, licere ei contra vnum ex eis ſcuto & fuſte in campo contendere CAROLVS M. edixit. Quam ridiculum denique iudicium crucis excogitauerunt adhibueruntque! Debeat reus cum duodecim, vt tum mos fuit, ſe purgare: deinde ducebatur ad templum. Duae ex virga partes praecidebantur; vna crucis ſigno notata, altera pura relicta. His lana inuolutis araeque impoſitis, ſacerdos vnam ſuſtulit. Si il-

lam

lam apprehenderet, abſoluebatur reus, ſi hanc, damnabatur. Sed de his nunc non eſt propoſitum nobis agere [a]. Eius iudicii formam, quod aqua fiebat, explicare conſtituimus.

Atque primum quidem recitabimus leges de hac re latas. In legis WISIGOTHORVM L. VI. c. 3. p. 121. FLAVIVS GLORIOSVS EGIGA rex edicit: *Multas cognouimus querelas & ab ingenuis multa mala pati credentes in CCC ſolidis quaeſtionem agitari. Quod nos modo per ſalubrem ordinationem cenſemus, vt quamuis parva ſit actio rei facti ab aliquo criminis eum per examinationem* aquae feruentis, *a iudice diſtringendum ordinamus: & dum facti temeritas patuerit, iudex eum quaeſtioni ſubdere non dubitet, & dum ſuam dederit profesſionem ſuperiori legi ſubiacebit. Quod ſi per examen* aquae feruentis *innoxius apparuerit, petitor nullam pertimeſcat calumniam. Hic quoque & de ſuſpectis habitis perſonis, id eſt, de vilibus ſcilicet & infamia notatis,*

a) vide prae aliis CAMERARII *Meditation. Hiſtor.* II. c. 18. IO CHRISTOPH. BECMANNI *diſputat. de iudiciis Dei.* Francof. ad Viadr. a. 1669. LANCELOTTI *Inſtitutiones Iuris Canonici in vſum auditorii Thomaſiani* P. III. p. 1733. CHRIST. GOTTL. HALTAVSII *Gloſſarium German.* p. 457. & eos, quos infra laudabimus.

tatis, qui ad teſtimonium venerunt, dicendum, ordo ſeruabitur. Porro in legis Longobardorum L. I. tit. IX. leg. 39. p. 534. HENRICVS II. loquitur; *Si quis vero praedicti criminis* (veneficii aut necis) *aut de facto aut de conſenſu accuſatus negare voluerit, aut per duellum, ſi liber eſt, ſi vero ſeruus,* per iudicium feruentis aquae, *defendat ſe aut in ſimilem ſententiam incurrat.* Idem ibidem imperator HLVDOICVS in l. 29. p. 532. praecipit in cauſa homicidii: *Si proprius ſeruus hoc admiſerit,* iudicio aquae feruentis *examinetur, vtrum hoc ſponte, an ſe defendendo feciſſet. Et ſi, manus eius exuſta fuerit, interficiatur: ſi vero non fuerit, publica poenitentia mulctetur.* Quae fere ſunt eadem verba ab Imperatore LOTHARIO vſurpata in l. 35. p. 533. Occurrit etiam huius rei mentio aliquoties in lege FRISIONVM, vt tit. III. l. 4. p. 493. *ſi res grandis* (furtum) *erit, in reliquiis iuret* (dominus) *aut ſeruum ad iudicium dei* in aqua feruenti *examinet:* & paullo poſt de homine alterum crimen negantem furti arguente: *iuret vterque ſolus & ad* examinationem feruentis aquae *iudicio dei probandus accedat:* & ſtatim poſt: *ſi vero is, qui alium furem interpellauit, falſo eum calumniatus*

eſt,

eſt, & in iudicio feruentis aquae *fuerit conuictus.* LVDOVICI legem ſuperiorem repetitam eisdem fere verbis legimus in Capitulis KAROLI & LVDOVICI Impp. L. IV. XIII. p. 893. & in Adpendice II. Capit. L. IV. 33. *Si ſeruum cuiuslibet absque aliqua comprobatione comprehenderit, ipſe ſeruus aut ad aquam feruentem, aut ad aliud iudicium ſe idoniare faciat.* In SPECVLI etiam SAXONICI Lib. III. art. XXI. legimus de duobus vnam eandemque rem appetentibus. *Iſt es den umbſeſſen nicht wiſſentlich, wer es im Gewehren habe, ſo mag man es wohl entſcheiden mit einem waſſerurtel:* atque in L. I. art. XXXIX. *Die ihr Recht mit dieberey oder raub verlohren haben, ob man ſie dieberey oder raub anderweit beſchuldiget, ſi moegen mit irem eid nicht unſchuldig werden, ſondern ſi ſollen haben dreierley wal: das heiſſe Eiſen zu tragen vor ihr unſchuldt: oder aber in einen wallenden Keſſel zu greiffen biſs an den Ellbogen, oder mit kempffen ſich zu erweren.* Quibus quoniam ſimillimus eſt, addamus locum ex *Kayſſerlich Land-und Lehn-Recht* c. 176, de falſo monetario b): *Man ſoll im driuual fürtailn, daz*

b) in SCHILTERI *Theſ. Antiqu. Teuton.* T. II, p. 110.

daz hayzze yſen zu tragen uff blozzer hant, oder in ainen wallenden keſſel zu griffen, untz an den ellenbogen, oder die wazzerurtail.

Cognitis legibus videamus hiſtoriam. Primum vero ne quis credat, nulla exſtare exempla huius iudicii adferamus verba AIMOINI c) a SPELMANNO laudati, LVDOVICI, inquit, *regis filius decem homines cum aqua calida, & decem cum ferro calido & decem cum aqua frigida ad iudicium dei miſit, coram eis, qui cum illo erant, petentibus omnibus, vt deus illo iudicio declararet, ſi per ius et aequum ille habere deberet portionem de regno — qui omnes illaeſi reperti ſunt.* Mirarer etiam vehementiſſime, ſi inter tot homines nemo fuiſſet paullo callidior, quique reliquos iudicii fidem eludere docuiſſet nullus.

Ad rem ipſam quod attinet, duplex fuit iudicium aquae. Enarrabimus primum, quomodo frigidae aquae iudicio vſi fuerint. Ducebatur reus in templum, vbi ſacra fiebant, illique a ſacerdote admonito ſacra caena praebebatur: hac formula adhibita: *Corpus hoc & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſit tibi ad probationem hodie, ad laudem & gloriam nominis ſui & eccleſiae ſuae vti-*

c) l. V. c. 3. p. 330.

vtilitatem. Peractis ſacris benedictam, vt appellabant, aquam fecit ſacerdos reoque bibendam dedit, dicens: *Haec aqua Domini fiat tibi ad probationem hodie per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt verus iudex & iuſtus.* Diris aquam mox deuouere incipit, in quam reus mittendus erat. Harum dabimus vnam formulam: *Adiuro te creatura aquae in nomine Dei patris + omnipotentis, qui te in principio creauit & iuſſit miniſtrare humanis neceſſitatibus, qui etiam iuſſit ſeparari te ab aquis ſuperioribus: adiuro te etiam per ineffabile nomen Ieſu Chriſti + filii Dei viui, ſub cuius pedibus mare & elementum diuiſum ſe calcabile praebuit, qui etiam ſe baptizari in aquarum elemento voluit: adiuro etiam te per Spiritum + ſanctum & indiuiduae diuinitatis, cuius voluntate aquarum elementum diuiſum & populus Iſrael ſiccis pedibus ſtatim tranſiuit, ad cuius etiam inuocationem Heliſeus ferrum, quod de manubrio exierat, ſuper aquam natare fecerat; vt nullo modo ſuſcipias hos (hunc) homines (nem) N. ſi in aliquo ſunt (ſit) culpabiles (is) de hoc quod illis (illi) obiicitur, ſcilicet aut per opera, aut per conſenſum, vel per conſcientiam, ſeu per vllum ingenium: ſed fac eos (eum) ſuper te natare &*

nulla

nulla poſſit eſſe contra te cauſa ficta, aut nullum praeſtigium, inimici, quod illud poſſit occultare: adiurata autem per nomen Chriſti praecipimus tibi vt nobis per nomen eius obedias, cui omnis creatura ſeruit, quem Cherubim & Seraphim collaudant, dicentes: ſanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum qui etiam regnat & dominatur per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

His factis veſtibus exuebatur reus: oſculabatur librum Euangeliorum & crucem: aqua ſacra conſpergebatur: denique proiiciebatur in vndam. Si innataret aqua, reus cenſebatur, ſin ſubmergebatur, innocens. Imprimis vero hoc iudicio explorabatur innocentia muliercularum, quas Sagarum nomine inſigniebat maiorum credula ſuperſtitio. Eiusmodi anus vrbe educta in aquam frigidam transuerſe leniterque a carnifice imponebatur ita, vt dextrae manus pollex ſiniſtri pedis magno digito, ſiniſtrae vero pollex dextri pedis magno digito funiculo alligatus eſſet. Vae vero vobis aniculae miſerae, ſi anſerum more innataretis vndis! tunc nihil impediebat iudicum iram, nec ſe carnificis manus continuere:

Quin albam raramque comam, lacrimoſaque vino
Lumina, rugoſas diſtraherentque genas,

Statim

Statim enim miſera in indicium vocabatur, ſaeviſſimaeque quaeſtioni obiiciebatur, veriſſimaque Saga declarabatur.

Illa magas artes, Aeaeaque carmina nouit,
Inque caput liquidas arte recuruat aquas,
Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equae.
Cum voluit, toto glomerantur nubila coelo,
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.

OVID.

Atque habemus ſubtiliſſimas diſputationes de cauſis, cur iſtae mulierculae non immerſae plerumque fuerint. Alii diabolum, quem certe parum elegantem formarum ſpectatorem cenſere videntur, cum illi ſemper vetulas amicas tribuant, leui inſpiratione corpus Sagae inflare putant: alii quod Sagae aqua ſacri baptiſmatis male abuſae ſint, aquam eas recipere nolle acute mehercle! & feſtiue dixerunt.

Iamiam efficaci do manus ſcientiae ſupplex.

HOR.

Veniamus ad alterum iudicii genus, quod per aquam feruentem fiebat. Erat illius eadem fere ratio, quae iudicii per candens ferrum. Omnes,

qui

qui adeſſent, ieiuni eſſe debebant: ſacerdos eo in loco, vbi aqua calida parabatur, deum orabat, vt veritatem rei hoc documento oſtenderet: tum aqua ſacra omnibus guſtanda dabatur, eaque totae aedes conſpergebantur. Denique (vtamur verbis hiſtorici ipſis) homo in aqua feruente accipiebat lapidem, qui per funem ſuſpenſus in ſimpla probatione per menſuram palmae, in tripla autem vnius vlnae. Manus obuoluta ſigno obſignabatur, ita ſeruabatur, & poſt tres noctes aperiebatur. Si ſana manus eſſet, innocens homo indicabatur: ſi illa laeſa, hic damnabatur d).

Addamus denique leges, quibus mos ſtultiſſimus ſublatus eſt. De aqua calida non ſuccurrit nunc lex, ſed de frigida praecipitur in LVDOVICI Imper. Capitul. Addit. IV. l. LXXX. p. 1192. *Vt examen aquae frigidae, quod hactenus*

d) Opus eſt, vt indicemus auctores, qui nobis profuerunt. Vide igitur *Formulas Publicorum & Priuatorum Negotiorum* in LINDENBROGII *Codice Legum Antiquar.* p. 1299. ſeqq. ipſum LINDENBROGIVM in *Gloſſario* p. 1356. HENR. SPELMANNI *Gloſſarium Archeologicum* (edit. a. 1687.) p. 323. 435. CHRISTOPH. BESOLDI *Theſaurum Practic.* (edit. a. 1697) p. 991. & in Continuatione p. 632.

ſtenus faciebant, a miſſis omnibus interdicatur, ne vlterius fiat, quae lex iisdem verbis a LOTHARIO in Leg. LONGOB. L. II. t. LV. l. 31. p. 662. data eſt. Sed omnium copioſiſſime huius examinis vſum ſuſtulit Imper. FRIDERICVS in Conſtitut. SICVL. L. II tit XXXI. p. 777. *Leges,* inquit, *quae a quibusdam ſimplicibus dictae ſunt paribiles, quae nec rerum naturam reſpiciunt, nec veritatem attendunt, nos, qui veram legum ſcientiam perſcrutamur, & errores a noſtris iudiciis ſeparamus, praeſentis noſtri nominis ſanctionis edicto in perpetuum inhibentes, omnibus regni noſtri iudicibus, vt nullus ipſas leges paribiles, quae abſconſae potius a veritate deberent nuncupari, aliquibus fidelibus noſtris iudicet, ſeu communibus probationibus ſunt contenti, tam antiquis legibus, quam noſtris conſtitutionibus introductis. Eorum etenim ſenſum non tam corigendum duximus, quam videndum, qui naturalem candentis ferri calorem tepeſcere, imo, quod eſt ſtultius, frigeſcere nulla iuſta cauſa ſuperueniente confidunt: aut qui reum criminis conſtitutum ob conſcientiam laeſam tantum aſſerunt ab* aquae frigidae *elemento non recipi, quem ſubmergi potius aeris competentis retentio non permittit.*

Poteſt fortaſſe origo huius iudicii repeti, a Iudaeis, qui aquam amaram ad adulterii inveſtigationem adhibuerunt e); ſed fuerunt etiam apud alios populos eiusmodi ſuperſtitioſa per aquam iudicia. STEPHANVS BYZANTINVS f), vbi de Palice, vrbe Siciliae exponit, & de fonte, qui ibi eſt, iusiurandum eſt etiam, inquit, ibi ſanctum. Quaecunque enim aliquis iurabat, in tabula ſcripta proiiciebat in aquam. Quodſi vere iurauerat, innatabat, ſin minus tabula euaneſcebat, ipſe vero periurus comburebatur. Porro ACHILLES TATIVS g) de fonte ſtygis prope Epheſum dicit: Cum violata aliqua pudicitia arguitur, tum eum in fontem deſcendere compellitur, cuius vnda vix medias tibias attingit. Iudicium autem hoc fieri modo ſolet. Quae delata eſt, falſo ſe inſimulari iurat, iusiurandumque in tabella deſcriptum collo ſuo alligatum ſuſtinere in fontem de-

---

e) *Numer*. V.

f) p. 520. ed. Amſt. 1678. vbi THOMAS DE PINEDO notat, idem memoriae prodidiſſe, ARISTOTELEM, DIODORVM SICVLVM & MACROBIVM.

g) de CLITOPH. & LEVCIPP. Amor. L. VIII. p. 205. (ed. Commel. a. 1606.)

deſcendit, ac, ſi verum iusiurandum iurauerit, aqua omnino immota manet, ſin minus, intumeſcit, atque ad collum vſque ſe attollens tabellam contegit. Pertinet huc etiam, quod PLINIVS narrat h): *Amnis Olachas in Bithynia Bryazum alluit, (hoc & templo & deo nomen) cuius gurgitem periuri negantur pati, velut flammam vrentem.* Attuli haec exempla, vt quaſi hiſtoriam ſuperſtitionis contexerem. Aquae iudicium iam antiquiſſimis temporibus diuinum habebatur, &, cum additis ritibus quibusdam, tum omiſſis aliis, quaſi e manu in manum traditum, maximeque iis temporibus celebratum fuit,

Humana ante oculos foede cum vita iaceret
In terris oppreſſa graui ſub Relligione,
Quae caput a coeli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans.

LVCRET.

Sed memoranda eſt tandem Tucciae hiſtoria, a qua totius huius diſputationis occaſio repetita fuit. Iuuat vero eam DIONYSII HALICARNASSEI i) verbis narrare, breuitatisque cauſa,

 lati-

h) *Hiſtor. Natur.* L. 31. 18. p. 550.
i) in *Antiqu. Rom.* L. II. c. 69. p. 124. ed. Hudſ.

latina verſione vti, praeſertim cum Graeca non vbique terrarum legantur. Quod ſum dicturus, inquit, longe admirabilius eſt, & ad fabulas propius accedit. Aiunt vnam de virginibus ſacris, Tuciam, a quodam falſo accuſatam fuiſſe, qui quidem ignem exſtinctum illi obiicere non poſſet, ſed alias quasdam ex veriſimilibus iudiciis & teſtimoniis afferret probationes. Iuſſam autem virginem ad omnia reſpondere, hoc ſolum dixiſſe, ſe re ipſa falſum crimen obiectum diluturam, &, quum haec dixiſſet, & deam inuocaſſet, vt ſibi viae dux eſſet ad Tiberim proceſſiſſe pontificum permiſſu, & tota vrbana turba eam proſequente: & quum ad flumen acceſſiſſet (id quod trito prouerbio circumfertur, vt res audaciae plena & quae praecipue nullo modo fieri poteſt) cribro vacuo & perforato e flumine auſam fuiſſe haurire aquam, eamque ad forum vsque latam ad pedes pontificum effudiſſe. Poſtea aiunt eius accuſatorem diu multumque quaeſitum neque vinum neque mortuum inuentum fuiſſe. Haec DIONYSIVS, rem vero ipſam Romanorum voce & ſcriptis ſaepius celebratam eſſe intelligo. Breuiter quidem PLINIVS k) dicit

k) in *Hiſt. Natur.* L. 28. 3. p. 445.

dicit: *Exſtat Tucciae Veſtalis inceſtae precatio qua vſa aquam in cribro tulit anno Vrbis DCIX:* & ipſa precum formula ſeruata paullo copioſius VALERIVS MAXIMVS [l]). *Eodem auxilii genere Tucciae virginis Veſtalis inceſti criminis reae caſtitas infamia nube obſcurata emerſit: quae conſcientia certae ſinceritatis ſuae ſpem ſalutis ancipiti argumento petere auſa eſt. Arrepto enim cribro, Veſta, inquit, ſi ſacris tuis caſtas ſemper admoui manus, effice, vt hoc hauriam e Tiberi aquam & in aedem tuam perferam. Audaciter & temere initis votis ſacerdotis rerum ipſa natura ceſſit.* Huc etiam reſpicit TERTVLLIANVS [m]), dum *aquam cribro geſtatam* memorat: reſpicit AVGVSTINVS [n]), dum ſcribit: *quod Virga Veſtatis de cuius corruptione quaeſtio vertebatur aqua impleto de Tiberi cribro neque perfluente, abſtulit controuerſiam.* Non ſolum ſcriptorum ingeniis, ſed manibus quoque artificum celebrata fuit Tuccia. Vtinam videre contingeret gem-

 mam

l) L. VIII. c. 1. 5.

m) in *Apologetic.* c. 22. p. 24. (edit. RIGALT. a 1641.)

n) *de ciuitate dei.* L. X. c. 46. p. 191. (Tom. VII. edit. Antuerp.)

mam antiquam, quam exhibere illam WINKELMANNVS ſcribit o). Interim miremur Dreſdenſem Tucciam p) amemus, laudemus, &, quantum in nobis eſt, exquiſiti operis memoriam ſeruemus.

O! quam te memorem? virgo, namque haud tibi vultus
Mortalis —— —— *O! dea certe.*

VIRGIL.

CAP. III.

Adoptionis monimentum.

Quanquam plures ſunt numi, qui adoptionis memoriam ſeruant, quosque in vna tabula collectos dat illud Muſeum, quod ego & ob praeclarorum numorum copiam & ob excellentem, quo illi exhibentur, ordinem maximi aeſti-

o) *Deſcription des pierres grauées d. J. B.* STOSCH. p. 434. n. 170.

p) *Recueil des marbres antiques, qui ſe trouvent dans la Galerie du Roi de Pologne.* tab. 56.



p.22.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

aeſtimo a) vnus tamen ibi deeſt, praeſtantior reliquis omnibus, ipſoque illo verbo, quo res indicatur, inſignitus. In aduerſa parte eſt caput TRAIANI laureatum, cum inſcriptione: NERVA TRAIAN. CAES. GERM. NER. AVG. F. P. TR. P COS. II. In auerſa conſpicitur Imperator Nerua togatus, TRAIANO, militari amictu ornato, dextram porrigens, clare legitur verbum ADOPTIO b). Notum vero eſt, Neruam adoptaſſe TRAIANVM, id eſt, non ſolum illum priuatim filium haeredemque, ſed publice quoque ſucceſſorem adſciuiſſe. *Reipublicae illum diuina prouiſione conſuluiſſe, Traianum adoptando,* EVTROPIVS iudicat c) & AVRELIVS Victor ſcribit d): *Vlpium Traianum Italica vrbe Hiſpaniae ortum* — adrogatum *accepit & dedit.* Alio verbo vtitur hiſtoricus, aliud in

B 4

a) *Muſeum Pembrochian.* P. III. t. 62.

b) Numus hic datur in OISELII *Theſ. Numiſm. Select.* T. CII. in TRISTANI *Commentariis* P. I. p. 378. in PATINI *Theſ. Numiſm. ſuorum.* p. 68. in *Muſeo Farneſiano.* T. III. t. I. n I. confer. FROELICHIVM *de vtilit. rei numar. veter.* p. 19.

c) VIII, 2.

d) de CAESAR. c. 13. p. 344.

in numo noſtro legitur. Nec ignoratur, antiquiſſimam fuiſſe adrogationem, eaque homines ſui iuris, in alienam familiam tranſiiſſe: hanc ad liberos alienos pertinuiſſe: illam per populum in comitiis, hanc coram magiſtratu factam fuiſſe. Bene horum rituum diuerſam rationem VLPIANVS expoſuit [e]). *Adoptio fit*, inquit, *aut per populum, aut per praetorem, vel praeſidem prouinciae. Illa adoptio, quae per populum fit, ſpecialiter arrogatio dicitur. Per populum, qui ſui iuris ſunt: per praetorem autem filii familiae a parentibus dantur in adoptionem. Arrogatio Romae tantum fit: adoptio autem etiam in prouincia apud praeſidem*, quibuscum, ſi quis GELLII [f]) verba comparauerit, quae huc pertineant, cognoſcet omnia. Non apparet ibi numo noſtro ille ſolemnis adoptionum ritus per aes & libram, quo ipſe AVGVSTVS in adoptandis CAIO & LVCIO vſus eſt [g]), qui etiam nepotem AGRIPPAM & priuignum TIBERIVM in foro curiata lege adoptauit. Nam quem-

e) Fragm. Tit. VIII. 2. ſequ.
f) *Noct. Att.* V, 19.
g) SVETON. in vit. AVG. c. 64 vbi vid. TORRENTIVM.

quemadmodum multa contra conſuetudinem ſibi permiſerunt Imperatores in adoptionibus h), ita etiam Nerua abſentem TRAIANVM in templo ante puluinar Iouis i) filium ſibi aſſumſit. Quod vero militari habitu TRAIANVM numus exhibet, indicat illum e Germania redeuntem, firmantemque dextra data NERVAM adoptionem. Certe GALBAM PISONEM adoptaturum *apprehenſa Piſonis manu* quaedam locutum eſſe legimus k). Atque haec quidem de adoptione TRAIANI l). Addendus eſt omnino alius numus a VAILLANTIO m) datus explicatusque. Eſt ille TIBERIO ab Illicitanis dicatus. Aduerſa pars hanc inſcriptionem exhibet, C. I. I. A. L. TER. LON. L. PAR. AVIT. II. VIR. Q. in auerſa duo togati ſtant manus ſuper arcem iungentes. In imo legitur verbum IVNCTIO. Iam vir doctus non male GERMANVM & DRVSVM, Caeſares, TIBERII

B 5 filios,

h) vid. DODWELLVM in *praelect.* XVIII. ad SPARTIAN. p. 553.
i) PLINIVS in *Panegyr.* c. 8.
k) TACITVS in *Hiſtor.* L. I. c. 15.
l) confer. BACHII *D. Traianum, ſiue de legibus Traiani Commentar.* in vita p. 22.
m) in *Num. Aer. Imper. in Colon. percuſſ.* p. 112.

filios, hic exhiberi putat. Eos, cum patrueles fuerint & adoptione fratres, ILLICITANOS iunctis inuicem manibus, ara adoptionis intermedia, ipſorum fidei teſte, tanquam concordes in nummo propoſuiſſe. Similior etiam TRAIANI nummo eſt alius, ab eodem datus n): cuius altera pars caput & inſcriptionem AGRIPPINA AVGVSTA: altera cum verbis COL. A. A. P. GENIVM, duas figuras togatas dextrasque iungentes exhibet. Patrenſem dicit Coloniam nummos hos AGRIPPINAE vxori CLAVDII dicaſſe, ipſumque CLAVDIVM dextram cum NERONE iungentem in adoptionis monimentum effinxiſſe. Certe hoc verum eſt, ſymbolum adoptionis in nummis eſſe concordiam & pietatem, vt docet etiam VRSINVS o)

n) *in Num. aer. Imp. in Col. excuſſ.* p. 166.
o) ad *Numos Famil. Rom.* p. 9. PATIN.

CAP.



p. 27.

I D Heine ſculpſ. Göttingæ

Digitized by Google

Digitized by Google

CAP. IV.

De nuptiis per confarreationem.

Iam veniet virgo: iam dicetur Hymenaeus.
Hymen, o Hymenaee, Hymen ades, o Hymenaee!

CATVLL.

Bona enim verba dicenda ſunt adſpecturis nuptias Romanas, non AVSONIO aliquo oſtendente, ſed GORLAEO in gemma antiqua monſtrante eas, cuius ſtudium multo maiore laude dignum eſſet, ſi peritior veteris elegantiae manus accuratius doctiusque lineis in aereis laminis ductis gemmarum in vtiliſſimo opere propoſitarum praeſtantiam reddidiſſet. Ad illam igitur gemmam diſputabimus tantum quae pertineant. Nam poſt BRISSONIVM a), HOTOMANNVM b) & GRVPENIVM c) de ritibus, qui

a) *de veteri ritu Nuptiarum.*
b) *de veter. rit. Nuptiar.*
c) *Tractatio de Vxore Romana.*

qui in nuptiis Romanis obſeruati fuerint, non lubet, relinquamus talia iis, quibus bonus PITISCVS diſputationes antiquarias *pro loco*, neſcio quo, ſed fortaſſe non amico chartis praebere ſolet & vnice poteſt. Eſt vero inter diuerſos nuptias contrahendi modos inprimis confarreatio. *Farre,* dicit VLPIANVS [d]), *conuenitur in manum certis verbis & teſtibus decem praeſentibus & ſolemni ſacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Hinc oriebatur & ſacrorum communio: & vxor materfamilias fiebat filiaeque loco habebatur: omnia uxoris bona dotis nomine ad maritum perueniebant: talibus etiam parentibus nati patrimi & matrimi erant. Ritus vero hic cum omnium ciuium Romanorum erat communis, tum pontificum flaminumque matrimonii quaſi proprius. Quia autem Romani diuortia valde amabant, quia etiam cum hoc ritu tum caerimoniae tum impenſae plures coniunctae erant, aliasque ob cauſas accidit, vt ille negligeretur, ſenſimque tolleretur. Praeter DIONYSIVM [e]), qui hunc ritum

d) *Fragm* IX, 1.
e) in Antiqu. R. L. II. c. 25. p. 92. ed. HVDS.

ritum tam indiſſolubilis familiaritatis nexu matrimonium coniunxiſſe dicit, vt illud nihil diſſolueret, eſt etiam locus SERVII notandus f): *Tribus, inquit, modis apud veteres nuptiae fiebant: vſu, ſi verbi gratia mulier anno vno cum viro licet ſine legibus fuiſſet; farre cum per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem per fruges & molam ſalſam coniungebantur, (vnde Confarreatio appellabatur, ex quibus nuptiis patrimi & matrimi naſcebantur) coemptione vero atque in manum conuentione* &c. Hunc igitur ritum recte in eá gemma obſeruauit GRONOVIVS, quam nos exhibuimus g). Videmus enim nuptias iunctis coeuntium manibus, ſponſa far frugesque imponente ignibus in altari, ſponſo aquam affundente, quibus ad ſolemnitatem augendam adeſt tibicen &. Iuno fortaſſe pronuba cum ſceptro apportans caniſtrum frugibus plenum

εἰς σύνδεσμον δ᾽ἀναγκαῖον οἰκειότητος ἔφερεν ἀδιαλύτου, καὶ τὸ διαιρῆσον τοὺς γάμους τούτους οὐδὲν εἶναι. ſed totus locus huc pertinet. confer VERTRANIVM, MVRETVM & ACIDALIVM ad *Tacit. IV. 16, p. 274 ed. Gronou.*

f) ad *Georg. Virg. I. 31.*

g) e *Dactylioth. Gorlaei* P. II. 6.

num. Poteſtne vero aliquid clarius illuſtrari, quam haec gemma a SERVIO h), cuius iam teſtimonio ſupra bene vſi ſumus. *Quid eſt enim*, inquit, *aliud* permittere dextrae, *quam in manum conuenire? quae conuentio eo ritu perficitur, vt, aqua & igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura coniuncta habeatur: quae res ad farreatas nuptias pertinet.* Non opus eſt plura addere. Eundem ritum viri docti inueniunt in lucerna fictili i), quae exhibet IVNONEM iugalem manus vtriusque collo ſponſi iniicientem ſimulque ſpicam habet. Spica enim haec confarreationis ſymbolum mihi eſſe videtur: atque adeo, ſi in gemmis k) manus iunctas cum ſpicis obſeruo, ad quid putem aliud reſpici, quam ad nuptias per confarreationem. Huc etiam egregie facit alia gemma, a WINCKELMANNO l) deſcripta, in qua vir togatus & foemina ſtolata peploque circumdata, ſibi manus tradentes, foemina ſiniſtra manu tres ſpicas tenente quibus figu-

h) ad *Aeneid.* IV. 103.
i) *Muſei Paſſerii.* T. I. t. 37.
k) vt in *Muſeo Florentino.* T. I. 100. n. 6. 7. & alibi.
l) *dans la Deſcription des pierres gravées*, p. 514. add. 286.

ſiguris egregia poteſt lux affundi, e PLINIO m): *nouae nuptae farreum praeferebant.* Sed priusquam progrediamur, volumus alios numos memorare, qui matrimonii memoriam habent. In numo AQVILIAE SEVERAE n) quam Veſtalem HELIOGABALVS vxorem duxerat, cum inſcriptione CONCORDIA AETERNA dea, ſtans, quam Iunonem eſſe puto ζυγίαν, complectitur HELIOGABALVM & AQVILIAM dextras iungentes.

Tum dextram complexa viri dextramque puellae
Tradit & his vltro ſancit connubia dictis,
Viuite felices.

CLAVDIAN.

Quemadmodum autem in gemma o) vir & foemina ante aram accenſam ſtantes, mutuoque ſibi dextram porrigentes, conſpiciuntur, ita etiam numi eodem modo matrimonii contracti imaginem proponunt. Exſtat GORDIANI numus p), vbi ille laureato capite ſuper aram iungit

m) *Hiſt. Nat.* XVIII, 3. p. 98.
n) in OISELII *Theſ. Num. Sel.* T. 83. n. 11. add. T. 84. n. 3.
o) in BORIONII *Collect. Antiqu. Rom.* t. 77
p) in FROELICHII *Adpend. ad Num. Graec. Inquent.* p. 329.

git dextram cum muliere, procul dubio TRANQVILLINA. Similem imaginem praeferunt numi, in quibus concordia coniugalis FAVSTINAE & M. AVRELII q), CARACALLAE & PLAVTILLAE r) ELAGABALI & IVLIAE PAVLAE s), COMMODI & CRISPINAE t) aliorumque exhibetur. Nolo enim vos amplius morari, qui his nuptiis interfuiſtis, easque farre celebrari vidiſtis:


Tempus accelerat ſuaue: mitis
Exaudit gemitus Venus ſuorum,
Producit caput, emicatque coelo
Ductor Heſperus aureae cateruae.
O felix iuuenis, puella felix!

IO. SECVND.

---

q) in *Numophylac. Reginae Chriſtinae*, t. XVIII.
r) in TRISTANI *Commentar.* P. II. p. 245.
s) in VAILLANTII *Numiſm. Imp. Rom. Praeſt.* T. II. p. 274. ed. Rom.
t) vid. SPANHEM. *de Vſ. & Praeſt. Num.* in Diſſert. XI. p 292. adde HANTHALERVM in *Exercitation. de num. Veter.* P, II. Dial. 23. p. 206.


CAP.



f. l.

C

Digitized by Google



p. 53

I.D. Heine ſculpſ. Göttingæ

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

CAP.

CAP. V.

Legis ſeruiliae monimentum.

Fragmenta quaedam legis SERVILIAE apud ſe exſtare ſcribit FVLV. VRSINVS a) eorundemque particulam quandam adfert: *Eamque. ſortem. ex. hac. lege. apertam. bracioque. aperto. litteram. digiteis. opertam. palam. — vndai. cauſa. ad. ſitellam. forti. veniet. is. in. eam. ſitellam. manum. demittito. tam. deuexam. populo.* Vtinam vero plura exſtarent! ſed ea abſtulit deleuitque inuidia temporum & longa dies, quae vix memoriam legis reliquit. Fuerunt autem huius nominis aliquot leges. Nam & a. V. DCXLVIII. Q. SERVILIVS Caepio, Conſul, vt iudicia equitibus cum Senatoribus communia eſſent, legem tulit: & a V. DCLIV. C SERVILIVS GLAVCIA, Praetor, ſolis Equitibus alia lege iudicia tribuit, quanquam ſunt, qui has leges non perlatas eſſe arbitrentur b). Huius

a) ad CICERON. *de Natur. Deor.* I. 38. p. 106. ed. Dauiſ.

b) vid. ERNESTIVM in *Claui Cicer. Ind. Leg.* ſ. l.

ius vero legis SERVILIAE iudiciariae videntur mihi plura capita fuiſſe, quae ſingula ad ſingulas leges referre male quidam videntur. Praeclarum dat etiam SERVILIAE legis fragmentum SIGONIVS c) e Muſeo PETRI BEMBI in aeneis tabulis vetuſtiſſimis inſcriptum; VRSINIANVM vero fragmentum fruſtra quaeſiui. Spectare vero hoc apparet ad ſortitionem iudicum. Praetorem enim conſtat, aut quaeſtionis iudicem, omnium nomina in vrnam conieciſſe, qui a praetoribus ad iudicia eius anni delecti eſſent. Numerum deinde, quem ſingulis iudiciis leges definiebant, adiecit, quo ex numero cum reus, tum accuſator reiicere poterant, quos non probarent, quorum in locum praetor aut iudex quaeſtionis alios ſubſortiebatur d). Hunc ritum conſpexiſſe ſibi viſus eſt cl. WINKELMANNVS e) in gemma, vbi prope vrnam duo milites ſtant, iuuene quodam in vrnam brachium in-

c) *de iudiciis.* L. II. p. 608. T. II. ed. Hal. add. L. II. c. 12. p. 566. & *de antiquo Iure Civ. Roman.* L. II. c. 18. p. 411.

d) vid. ASCONIVM ad *prooem. Act. in Verrem.* p. 47. de ſitella vid. TVRNEBVM in *Aduerſar.* L. XIII. c. 13. p. 432.

e) *Deſcription des pierres grav.* in praefat. n. 22.

inſerente, & quaſi quaerente aliquid atque extrahente. Quia vero delineationem gemmae vir doctus non edidit, addenda fuit nobis huic capiti alia gemma f) in qua etiam duo milites ſortem trahentes obſeruare mihi videor. Noui quidem, quid GORIVS g) diſputauerit de hac gemma, qui NESTOREM phiala ab ACHILLE donatum exhiberi putat, copioſeque quae vidit, aut vidiſſe ſe putauit, enarrat. Sed ſimplicior mihi videtur opinio mea, ideoque verior: quam tamen ſi durior quiſpiam fuerit qui mathematicorum ratione ſibi probari velit, recitabo verba SCALIGERI, quibus lubenter aſſentior. Verba viri ſummi ſunt: h) *Mirum, quam multa & abſtruſa & ignota in gemmis reperiantur, in quibus interpretandis ſaepe puto ludi operam. Non enim dubium eſt, quin multa veriſimilia dici poſſent, ſed quae vera praeſtare nemo poteſt, niſi qui nimis iudicio ſuo confidunt, & alienum contemnunt.*

f) in *Muſeo Florent.* T. II. 29. 2. 3.
g) in commentar. p. 71.
h) L. I. *epiſt.* 24.

CAP. VI.

De viarum munitione.

De via publica & itinere publico reficiendo quid in DIGESTIS a) ſcriptum ſit, nemo ignorat, ad quem rei cognitio pertinet. Quid vero in cura viarum aedilibus olim obſeruandum fuerit, docet inſigne fragmentum libri ſingularis PAPINIANI de officio aedilium b). Sed neque ipſi imperatores ſplendore ſuo maieſtateque viarum muniendarum curam indignam cenſuerunt. Clara ſunt & digna principe verba HONORII c) & THEODOSII: *Abſit, vt nos inſtructionem viae publicae & pontium ſtratarumque operam titulis magnorum principum dedicatam inter ſordida munera numeremus.* Sed qui ſunt illi tituli, quibus Imperatores munitionem viae magnos principes dedicaſſe ſcribit? Conſulamus nummos, qui optimi commentarii loco eſſe poſſunt. Sunt tres numi, duo AVGVSTI, vnus

TRA-

a) Tit. XI. L. XLIII.

b) Tit. X. confer. LIPSIVM ad *Tacit. Annal.* III. Excurſ. F.




p. 56.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google


S·P·Q·R
IMP·CAES
AR
L·VINICIVS
S·P·Q·R
IMP·CÆ
QVOD V
M·S·EX
EA·P·Q·IS
AD A·DE
L·F III·VIR.

p.36

TI
pil
gu
v.
mr
nu
cap
PO
MA
F.
ca
nia
ter
NI
De

Digitized by Google

TRAIANO, ſacrati, qui vias munitas a principibus narrant. In auerſa primi numi parte, leguntur haec verba: S. P. Q. R. IMP. CAE. QVOD V. M. S. EX EA P. Q. IS AD A. DE. in columna quadam d). Vidi, tria eſſe diuerſa huius numi exempla, nam in aduerſa parte habet alius caput AVGVSTI & verba: AVGVSTVS TR. POT. VIII. & in altero legitur CNEVS CINNA MAGNVS IIIVIR: in tertio: L. VINCIVS L. F. IIIVIR. Litterae illae procul dubio ita explicandae ſunt: *Viae Munitae ſunt Ex Ea Pecunia, Quam IS Ad AErarium Detulit.* Quae interpretatio magis mihi arridet illa LVDOV. NONNII e): *Quae Iuſſu Senatus Ad AErarium Delata.* Haec de primo numo: in ſecundo, cu-

 ius

d) Numus exſtat cum altero: *dans l'Hiſtoire des Empereurs Romains* &c. (Paris chez Antoine de ſommaville. 1645. p 17.) in PATINI *Num. Famil. Rom.* p. 296. vbi vide VRSINVM. in GOLTZII *Numis Auguſti* t 46. in VAILLANTII *Num. Famil.* t. 51. & t. 147. in *Muſeo Farneſiano* T. II. t. 7. 3. in *Theſauro Morelliano*, ſuo loco, & alibi. confer SPANHEMIVM *de Vſ. & Praeſt. Numiſm Diſſ.* X. p. 193. TORRENTIVM *ad Sueton. Aug.* c. 64. p. 366. IOBERTVM *dans la Science des Medaill.* T. I. p. 230. & HANTHALERVM in *Exercitat. de num. Veter. P. II. dial. 20. p. 183.*

e) in comment. ad GOLTZIVM p. 70.

ius etiam memini me videre tria exempla diuerſa, ſunt duo arcus triumphales, quibus duae figurae equeſtres, duoque trophea inſunt, cum intermedio elogio: QVOD VIAE MVN. SVNT. Neque ſolum numorum, ſed marmorum quoque titulis haec cura AVGVSTI poſteritati tradita fuit. Certe inſcriptionem dedit GRVTERVS memorabilem f): VIAM SVPERIOR. COS. TEMPORE INCHOATAM ET MVLTIS LOCIS INTERMISSAM PRO DIGNITATE IMPERII P. R. LATIOREM LONGIOREMQVE GADEIS VSQV. PERDVXIT. Optime vero de cura viarum, quam AVGVSTVS oſtendit, nos certiores facit SVETONIVS g), qui eum non ſolum noua officia excogitaſſe ſcribit, curam operum publicorum, viarum, aquarum, aluei TIBERIS, ſed alio quoque loco ſcribit: *Quo autem facilis vndique vrbs adiretur, deſumta ſibi Flaminia via Arminio tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuit.* Non puto quenquam plura deſideraturum eſſe, ad numos hos intelligendos. Quare ad TRAIANVM progredior. Hic enim illam

f) p. XLIX. 4.

illam viae APPIAE partem, quae ex porta Capena BRVNDVSIVM elucebat, reſtituit, longumque aggerem per paludes POMPTINAS, quem aſſiduae eluuiones euerterant, reſtaurauit, vt ſcriptores monimentaque alia h) teſtantur. Reſtat etiam numus, qui hanc rem luculentiſſime narrat i). Recumbit in eo foemina, ſuperiori parte nuda, dextra extenſa rotam ſuſtinens alteri genuum impoſitam, laeuaque frondem vicentem tenens. Inſcriptio eſt: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. VIA TRAIANA. S. C. Licet vero HARDVINVS k) qui ſuo more ſomniet, hic turbas excitare velit, eſt tamen numus clariſſimum monimentum munitionis viae titulis principum dedicatae.

Sed non ſolum numi viarum munitarum, ſed aliorum quoque ab Imperatoribus factorum operum memoriam ſeruant. Eſt CLAVDII numus l) cum inſcriptione: S. P. Q. R. P. P.

h) vid. DIONEM L. LXVIII. p. 777. GRVTERI *Inſcript.* CLXXXXIX. 1.

i) Praeter laudatos libros vid *Numophylac. Reginae Chriſtinae.* T X. *Muſeum Farneſianum.* T. VI. 24. 7. & T. X. t. 8. n. 7. *Imper. Roman. Num. Aur. Caroli ducis Croii & Arſchot.* t. 16.

k) ad PLINII *Hiſt. Nat* L. VII. c. 55. p. 411.

l) v. *Muſeum Farneſian.* T. I. t. 11.

AQVAS CLAVDIAM EX FONTIBVS QVI VOCABANT CAERVLEVS ET CVRTIVS A MILLIARIO XXXXV. F. F. ITEM ANIENEM NOVAM A MILLIARIO LXII. SVA IMPENSA IN VRBEM PER DVCENDAS CVRAVIT COS. V. Ita etiam in aliis FORVM TRAIANVM, celebre aedificium iuris dicundi gratia aedificatum m); in aliis n) AQVA TRAIANA apparet, quia TRAIANVS aquas MARTIAS circa viam VALERIAM diduxit, & aliquam illarum partem in montem AVENTINVM deriuauit, vnde in veterem FAMILIAE ipſius domum recurrens, ſeſe abhinc per circumiacentem regionem exonerabat o). Conſpicitur in eiusdem Imperatoris numis aedificium pulchrum cum epigraphe: BASILICA VLPIA p). In HADRIANI nummo, non ſaepe obuio, eſt ſuperbus pons ſupra Tibrim q). Nec ſoli Impera-

m) v. *Muſ. Farneſian.* T. X. t. IV. 4.
n) [illegible]atur a PATINO ad *Sueton.* T. XX. n. 1.
o) in *Muſeo Farneſian.* T. X. t. IV. 4.
p) v. *Le Pois diſcours ſur les Med.* Tab. I. n 5.
q) in VAILLANTII *Num. Imp. Praeſt.* P. II. p. 117. add. *Muſeum Pembrochian.* P. III. t. 76. 77. & *Memoires de Treuoux* a. 1702. m. April. p. 294 quae diſputatio latine exſtat in WOLTERECKII *Electis Rei Numar.* p. 10.

peratores ſe his monimentis poſteritati commendare voluerunt, ſed exſtant etiam alii. In denario AEMILIAE gentis BASILICA AEMILIA, Senatusconſulto refecta memoratur his verbis: AEMILIA REF. SC. M. LEPIDVS r). Gentis VALERIAE numus s) in aduerſa habet capita HONORIS & VIRTVTIS iugata, cum epigraphe: M. MESSALA M. T. IIIVIR. auerſa praeter verba COSSVS LENTVLVS CN. F. pontem cum duobus fornicibus & cymbam in aqua; ſupra verbum: INSVBRIA. Ita etiam Babbenſes pontem ſupra GVARGVAM, ad quem ſitam, amnem, a NERONE exſtructum, in numis celebrant t).

---

r) V. PATINI *Numiſm. Famil.* p. 7. SPANHEMIVM: *de Vſ. & Pr. Num. Diſſ. X.* p. 185. WISIVM ad *Numiſm. Bodleiana.* p. 185.
s) in VAILLANTII *Num. Famil.* t. 46.
t) in VAILLANTII *Aer. Num. Imp. in Colon. T. I. p. 168.*

PARS II.
AD TITVLVM:
Iurisprudentia numiſmatibus illuſtrata.

MAGNVM PEIRESCIVM, cum iuuenis ſcientiae iuris operam daret, magnum e numis fructum cepiſſe narrat GASSENDVS [a]). *Tenuit*, inquit, *& ſeriem conſulum & magiſtratuum ceterorum, conquiſitis vndique numiſmatibus, vt & facie & rebus geſtis labores legum agnoſceret. Sic habere etiam curauit icones celebriorum Iuriſconſultorum, vt, cum in illorum reſponſa interpretationesque incideret, fieret memoria tenacior, concepto cuiusque vultu.* Memoranda etiam eſt, eruditio cuiusdam ICti, a WAGENSEILIO [b]) celebrata. *Nec*, ait, *ad elegantiorem tantum literaturam conferunt numi, ſed & ad ciuilem prudentiam & ad bene viuendum. Aiunt celebrem quendam ICtum, cum in thermis valetudinem curaret, omnibus libris deſtitutum ex ſolis, quae ad manum habebat, numiſmatibus de iure forte conſulentibus*

a) in vita illius L. I. p. 24. add. p. 69 edit. Pariſ. 1641.)

tibus reſpondiſſe, quod nemo vocabit in controuerſiam, qui cogitat continere numos diuinarum & humanarum rerum notitiam, quae ipſa Iurisprudentiae ab Vlpiano tradita eſt definitio. Licet vero WAGENSEILIVS de veritate rei dubitandum eſſe neget, nolo equidem tamen illam praeſtare. Facilius illi fidem haberem, ſi ICtum numorum amore allectum ius dixiſſe narraret, aut, ſi illum de cauſae iuſtititia ex oblatae pecuniae magnitudine & ſplendore iudicaſſe diceret. Nam neque hac parte inexorabiles ferreosque bonos viros natura finxiſſe videtur: etiam hic

Mentem mortalia tangunt.

Sed bene habet! PAVLVS PEDRVSIVS, AENEAS VICVS, & FROELICHIVS ſummam numis vim ad virtutem ineſſe putarunt [c]). Eſt aliquid!

AD MON. I. ET II.

I. Hunc & alios Iuſtitiae numos verboſe explicat HANTHALER in *Exercitat. P. II. Dial. VI. p. p. 61.* In numo Nervae eſt Iuſtitia ger-

c) V. FROELICHII diſſ. *de Vtilit. Numor. Veter.* p. 73.

germen manu tenens cum verbis: IVSTITIA AVGVSTI. vid. *Theſaur. Brandenb.* T. II. p. 642. & *Theſ. Palatin.* p. 304, qualis numus eſt etiam ALEXANDRI SEVERI in *Muſeo Farneſian.* T. VII. t. 39. 5. TIBERII etiam & TITI eſt numus cum IVSTITIA in Patini *Num. Imper. Roman.* p. 65, eademque addita eſt averſae parti numi LIVIAE dicati, v. *Medales, Monnoyes — d'Imperatrices Rom. du Sieur le Meneſtrier.* p. 1. Memorabilis eſt denique numus ſingularis, in *Muſeo Pembrochiano* P. I. t. 37. aureus ille & maximi moduli, in altera parte exhibetur CONCORDIA: in altera mulier ſedens cum bilance, & verbo: I.V.S.T.I.C.I.A.

II. Eodem fere habitu dea ſiniſtra haſtam, dextra pateram tenens exhibetur in numo HADRIANI in *Oiſelii Theſ. ſelect. Numiſm.* T. LXII. n. 7. adde TRISTANI *Commentarios* P. I, p. 457. Cum haſta & bilancibus datur e veteri monimento a SPENCIO in libro optimo Tab. XXI, 4. niſi potius Aequitas ſit, qualis apparet in Muſei Florentini gemma, T. I, t. 99. o. ſed vide infra ad Mon. 88 & 89.

AD MONIM. III.

ZALEVCI iudicium hoc gemma exhiberi putant, num vero ab antiquo artifice?) num in gemma indubitatae antiquitatis? Vt ſum in his rebus ſubtimidus & moroſus, dubito fere. Sed ne offendere quenquam velle videor, opinionem meam Cl. WINKELMANNI verbis explicabo, nam quis eo melius acutiusque de his rebus iudicat? Ille igitur inquit: d) *Qu'on ne croye pas, que toutes ces têtes, qui ont été publiées & à qui on a hardiment donné des noms en y ajoutant des explications exagerés, comme par exemple dans l'Ouvrage d'Ebermeyer, reſſemblent à des originaux authentiques: celles-ci ne reſſemblent pas ſeulement aux eſtampes, d'après lesquelles elles ont été copiées, l'ouvrage, que je viens de citer, eſt une veritable imoſture: ni l'Editeur, ni le Commentateur n'etoient en état de faire les recherches neceſſaires.* Quid ſi igitur idem quoque de hac gemma dicendum iudicandumque eſt? quid ſi illam falſo vetuſtatem mentitur? Quem enim in gemma, quae Graecam hiſtoriam habet, non offendant lictores,

d) *dans la Deſcription des pierres gravées d. B. Stoſch.* praef. p. 8.

res, non faſces, non veſtes Romanae? Noui quid TINTORETTVS, TITIANVS, aliique hac parte peccauerint; ſed non memini me in vlla antiquarum gemmarum tam ridiculum peccatum inuenire.

AD MONIM. VI. ET VII.

Hi numi exſtant in PATINI *Numiſm. Fam. Roman.* p. 67. VAILLANTII *Num. Famil.* t. 38. SPANHEM. *Diſſert. X. de Vſ. & Pr. Num.* p. 200. BERGERI. *Theſ. Brandenb.* II. p. 564. Alium numum a Q. CASSIO percuſſum & a TRAIANO reſtitutum cum templo hoc rotundo & inſcriptione: IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. dat OISELIVS l. c. T. 113. n. 11 Equidem puto CASSIAE gentis duplicem virtutem & duplex de republica meritum iudicari. Nam & litterae AC. vrna & ſella curulis ſignificant legem tabellariam A.V.C. DCXVII. a L. CASSIO LONGINO, tribuno plebis rogatam, & templum in dicat templum VESTAE, a CASSIO damnatis virginibus inceſtis purgatum. Teſtis eſt & auctor meae opinionis ASCONIVS in orat. CICERONIS pro MILONE:

ſONE [e]): *Ob quam ſeueritatem, quo tempore Sex. Peduceus tribunus pl. ori minatus eſt, L. Metellum Pont. Max. totumque collegium pontificum male iudicaſſe de inceſtu virginum Veſtalium, quod vnam modo Aemiliam damnauerat, abſoluerat autem duas Martiam & Liciniam, populus hunc Caſſium creauit, qui de eisdem virginibus quaereret, isque & vtrasque eas, & praeterea complures alias, nimia etiam, vt exiſtimatio eſt, aſperitate vſus damnauit.* Fateor quidem Ill. HOMMELII opinioni numos quosdam fauere, qui templum Veſtae habent, ſine ſtatua impoſita, ſine antennis [f]), ſed primum haec ſunt ornamenta, quae facile ſimplicitati primae addi potuerunt. Deinde templum Veſtae etiam rotundum fuiſſe clare teſtatur locus OVIDII [g]). Denique in altero horum numo legitur: Q. CASSIVS VEST. quod ſi mecum reputo, parum abeſt, quin meae opi-

---

e) p. 198. edit Lugdun. (a. 1644.) Comment. ASCONII. confer. SIGONIVM in notis p. 272.

f) vide VAILLANTII *Num. Famil. Aemil.* T. V. adde *Numiſm. Bodleiana* T. VI. & in comment. p. 158. WITSIVM, & *Muſeum Pembrochiau.* P. III. t. 36. *Numiſm. aur. ducis Arſchotan.* t. 13. vide etiam LIPSIVM *de Veſta & Veſtal.* in T. V. *antiqu. Rom. Theſ. Graeuiano*, p. 619.

g) Faſt. L. VI. v. 280.

opinioni paullo plus tribuam, quam coniecturae tribuendum eſt. Hoc enim verbum luculenter oſtendere videtur, quale templum additum ſit. Adde his, in alio numo CASSIAE gentis, de quo infra ad Monim. 38. eſſe Veſtae caput, in alteraque parte legis tabellariae memoriam. Nonne probabile, hunc & illum nummum vtriusque CASSII meriti mentionem facere debere? quodque ibi per caput Veſtae, hic per illius templum indicari? Admonet me hic locus in memoriamque reuocat, quae e numis ad puteal illuſtrandum olim collegi. Video enim parum accurate a plerisque de illo expoſitum eſſe, ſi SALMASIVM h) excepcrim & duplex puteal, a multis confuſum, in quibus eſt etiam HEINECCIVS i). Fuit quidam ATTIVS NAVIVS k) cuius ſcientiam auguratus cum tentare vellet PRISCVS, an fieri poſſet, quaeſiuit, quod in animo haberet. Ille augurio acto reſpondit, fieri poſſe, TARQVINIVSque ſe cogitaſſe dixit, cotem nouacula poſſe praecidi. Cotem vero, cum ille experiri iuſſiſſet, in magno populi coetu diſciſſam nouacula fuiſſe

h) in *Exercitat. Plin. ad Solin.* p. 801.
i) in *Antiquitat.* IV, 5, 2. p. 215. edit. Baſil. 1742.
k) vid. CICERON. *de Diuinat.* I. 17. adde FESTVM L. XII. p. 273 ſub v. NAVIA.

ſe & vtramque defoſſam in comitio, *ſupraque impoſitum puteal narratur.* Nempe, vt aliquid religioſum hic latere ſignificaretur, & a fodienda terra homines retinerentur, imponebatur caua lapideaque ſtructura, ſeu operculum. Hoc eſt primum puteal, alterum fuit Scribonianum, ſeu LIBONIS de cuius origine eſt locus claſſicus FESTI [l]). *Scribonianum apellatur ante atria puteal, quod fecit Scribonius, cui negotium datum a ſenatu fuerat, ut conquireret ſacella attacta, isque illud procurauit: quia in eo loco attuctam fulgure ſacellum fuit; quod ignoraretur autem vbi eſſet (vt quidam) fulgur conditum, quod cum ſcitur, nefas eſt integi, ſemper foramine ibi aperto coelum patet.* Ad quem locum vide quae SCALIGER & DACIERIVS notarunt. Nempe, quemadmodum veteres loca, igne de coelo tacta, ſacra putabant, variisque cerimoniis conſecrabant, augure diſperſos ignes, resque incenſas colligente, terraeque mandante [m]), ita etiam SCRIBONIVS loca, quae fulgure tacta, inquirere debebat, eorumque religionem renouare. Cum igitur hoc loco

l) L. XVII. p. 504.

m) vid. LVCAN. *Pharſ. I. 605. add.* LOMEIERVM *de Luſtrat. gentil.* c. 37.

loco conditum fulgur reperiret, impoſuit puteal, id eſt lapidem, arae formam habentem, deſuper aperto & coelum ſpectante foramine n). Hinc patet, errare eos, qui hoc puteal praetoris tribunal fuiſſe putent, quomodo enim poterat? Sed quia hoc puteal in eo loco erat, vbi tribunal, ſaepe dicitur puteal pro loco & regione, vbi ius dicitur o). Eos, qui puteal ipſum tribunal cenſebant, poterant numi facile refutare. Eſt numus p) cuius in antica parte caput cum inſcriptione: LIBO BON. EVENT. in poſtica puteal, cum epigraphe PVTEAL SCRIBON q). Paullum diuerſam & coronatam hanc aram ſed eadem cum inſcriptione dat alius numus r). Eſt denique

---

n) vid. GVTHERIVM *de iure Man.* l. 5. p. 31.

o) v. c. HORAT. *Epiſt. I. 19. 8. Sermon. II. 6, 35.* PERSIVS in *Sat. IV. 49.*

p) vide de hoc numo *Numiſm. ex argento & auro a Franc. Comite Roncalli Parolino illuſtrata* p. 9. quanquam nihil ibi legi noui.

q) in *Theſaur. Brandenb.* T. II. p. 583. GOLTZII *Faſt. Magiſtrat.* p. 195. 196. PATINI *Famil.* p. 249. *Numiſmat. Bodleian.* t. IX. *Muſeum Pembrochian.* P. III. t. 3. confer. VAILLANTII *Num. Famil.* t. 7. & t. 125. GORLAEI *Theſ. Num. Rom.* t. 45. 9. & SPANHEMIVM *de Vſ. & Pr. Num. Diſſ. X. p. 190.*

r) in OISELII *Theſ. Numiſm. Selečt.* T. CXII, 2.

nique alius numus [s]), qui habet caput deae velatum cum verbo CONCORDIA, & poſt: PAVLLVS LEPIDVS: in altera parte legitur PVTEAL. SCRIBON. LIBO. adeſt ara ſiue puteal cum duabus lyris & lemniſco, ſiue corolla, & inferiore parte malleus: quo HAVERCAMPIVS [t]) putat triumviratum monetalem indicari, quo LIBO, PAVLLVS & LEPIDVS vno tempore functi ſint. Atque hanc illius ſententiam certiſſimam eſſe, audeo alio numo oſtendere, in quo loco mallei eſt forceps. Praeceptor olim meus, vir apprime doctus IO. GOTFR. GEISSLERVS, CHRISTIVM ſcribit [u]) exiſtimaſſe, Vulcani geſtamen eſſe malleum & ſignum peruulgatum, reſpicique hoc ſymbolo ad fulmen eo opere conditum. Sed ſi conſideres alios numos, in quibus inſtrumenta monetalia apparent, quorum vnus in adverſa habet Iunonem Monetam, cum verbo MONETA: in auerſa inſtrumenta illa, cum verbo T. CARISIVS. alter aduerſam ſimilem, & auerſam cum verbo SALVTARIS & his inſtrumentis exhi-

s) V. MORELLII *Theſ. Famil. Aemil.* T. I. 5. & *Famil. Scriboniae.*

t) in commentar. p. 640. add. 375.

u) in diſſert. *de dea Concordia ex veter. monument. illuſtrata* p. 26.

exhibet w): ſi igitur hos numos conſideraueris, clarum eſt, in eo quoque, de quo ſermo inſtitutus, numo, forcipem & malleum nullius alius rei, quam triumuiratus monetalis ſymbolum eſſe. Comminiſcitur etiam mira HARDVINVS x), qui dicit hinc inde pendere duas arculas, vel duos ſacculos forenſes in quibus inſtrumenta litium: malleo a praetore ſignum dari praetorii dimittendi: & illud puteal eſſe curiae ſepta ſiue clauſtra, quae omnia a nemine dici poſſunt, niſi qui oculis captus numum ipſum adſpicere nequeat.

Sed lubet, quoniam ad antiqui Iuris hiſtoriam res pertinet, indicare, vbi certius & codicilli & arculae in quibus inſtrumenta publica reponantur, conſpiciantur. Eſt numus Mariae gentis y), in quo ſunt duo viri togati, ſiniſtrorſum incedentes, ſiniſtra tenentes codicillos, & ad pedes cuiusque apparet arcula: cum inſcriptione C. MARIVS. C. F.

w) in *le Pois Diſcours ſur les Med.* tab. K 5. *Theſ. Brandenb.* T. II, p. 545. SEGVINI *Numiſmat. Select.* p. 9. PATINI *Famil. Roman.* p. 61. OISELII *Th. S. N.* t. 47. 8. MORELLII *Theſ. Famil. Cariſ.* t. 1. 4. confer. HANTHALERVM in *Praelud. Exercit.* dial. XI. p. 96. ſeq.

x) ad PLINII *Hiſt. Natur.* T. II. p. 742.

y) V. PATINI *Famil.* p. 171. VAILLANTII *Numiſm. Fam.* t. 95. MORELLII *Theſ. Famil. Mar.* t. 1. n. 4.



p.52.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

C. F. PRO IIIVIR. Putat quidem VAILLANTIVS exhiberi modios & frumentum a Conſulibus populo in ludis diſtributum indicari. Sed ſi compares cum numo illas iudiciales arculas, quas dat MONTEFALCONIVS z) quarum in vna apparent volumina collocata, nullum dubium remanebit, eſſe in illo ſcrinia, in quibus conſulta & decreta ſenatus reponantur. Addam vnum. BOVCHEROVE a) exhibet ex *Notitia Imperii* armarium, quod quaeſtori ius dicenti adſtabat, in quo leges ſeruabantur, cuique inſcriptum LEGES SALVTARES.

AD MONIM. X. ET XI.

Numos hos vide in PATINI *Famil.* p. 172. VAILLANTII *Num. Famil.* t. 95. GORLAEI *Theſ. Numiſm.* tab. 24. *Muſeo Pembrochian.* P. III. t. 1. *Num. Bodleian.* t. 8. & *Theſ. Morell. Gent. Memm.* Quod vero ad ſententiam ill. Auctoris pertinet, mihi contra eam varia in mentem venerunt. Primum non deſtituta eſt illorum opinio argumentis, qui legem REMMIAM de calumniatoribus diſtinguunt a MEMMIA, quae nomina eorum, qui reip. cauſſa abeſſent, recipi inter reos

 vetabat:

z) in *Antiquit. explic.* T. III. pl. V. VI. & VII.
a) *Recherches ſur les monnoyes de France* p. 180.

vetabat: in quibus ſunt HEINECCIVS b) & BACHIVS c). Certe hoc verum eſt, cum in DIGESTIS, tum in CICERONE, ipſoque illo in loco, quem Cl. V. laudat d), meliores codices habere *Remmia*. Deinde quod ad litteram K. attinet, vereor, vt res plana ſatis ſit. Non quaeram, an vere coniiciant, qui litteram K. damnatorum fronti inuſtam eſſe putent, vt LIPSIVS e) cum, vbi rei mentio ſit f), nunquam littera haec indicetur, ſed potius KK indicari videatur. Illud dico: litteram K. minime ad calumniatoris poenam in numo hoc reſpici poſſe, cum in eiusdem numi exemplis aliis A. in aliis M. in aliis R. in aliis S. in aliis O. appareat. Si igitur illius legis monimentum ille numus eſſe debeat, nonne perpetuo literam hanc K. praeferat, neceſſe eſt?

AD MONIM. XII. XIII. XIV.

De numis, in quibus vultus eruditorum priſci aeui hominum apparent, egi verboſe alio loco, quae

b) *Antiquit. Iur.* IV. 16. 3.
c) in *Hiſtor. Iuris* p. 127. & 195.
d) *pro Roſc. Amer.* c. 19.
e) in *Elect.* II. 15.
f) vt in PLINII *Panegyr.* 35, 3. IVLIO CAPITOLINO, *de M. Antonin. Philoſ.* c. 11.

quae nunc nihil attinet repetere. hunc numum dant VAILLANTIVS in *Numiſm. aer. Imper. in Colon. percuſſ.* p. 37. SEGVINVS in *Num. Select.* p. 94. SPANHEMIVS *de Vſ. & Pr. Num. Diſſ. X.* p. 157. Theſ. MORELLIANVS *Famil.* S. *fam. Val.* t. 1. & Theſ. *Imperat.* ſ. *Auguſt.* t. 44. 14. vbi HAVERCAMPIVS AVGVSTI vultum exhiberi putat. Exhibet eundem HARDVINVS ad *Plin. Hiſtor. Natur.* T. I. p. 394. t. 6. &, in quo verum vidit, caput AVGVSTI deprehendit, ſed litteras, in quo errauit, more ſuo explicat: *Narbonenſium Augurum Sacrum Soſpite Imperatore Caeſare Auguſto;* nam tauri caput ſymbolum eſſe victimae, nec nomen Naſicae duplice littera S. exprimi. Sed prae aliis omnibus conſulendus eſt P. WESSELINGIVS in *Obſeru. Var.* I. 35. p. 98. ſeq. (Traiect. ad Rhen. 1740.) cuius e dictis clare patet, non poſſe hunc P. SCIPIONIS Naſicae vultum eſſe.

XIII. Caput hoc eſt in gemma cum aliis edita a MARIETTO *dans les pierres gravées* P. II. g. 44. iisdem litteris eodem habitu, niſi quod faciem ſiniſtrorſum habet.

XIV. Hoc idem caput eſt in *Muſei Florent. Gemm.* I. 42. 9. & GORIVS in commentario p. 92. dicit, nitere decora ſenecta vultum admi-

rando artificio exſculptum. CATONIS CENSORII imberbis thoracem, vt aiunt, habes in *Theſ. Brandenb.* T. III. p. 334. ſed nullam inter illum vultum & alios ſimilitudinem video, niſi quod paullo moroſior apparet.

Vellem his ICtis pro meo erga ſummi viri ingenium amore addita fuiſſet imago CICERONIS. Huic enim omnino locum inter ICtos tribuendum eſſe, praetermittereque potuiſſe BYNKERSHOECKIVM, quae in *Praetermiſſis* p. 60. diſputat, cenſeo. Cur vero ita ſentiam cauſa haec eſt. Primum ipſe CICERO ſe profitetur diſcipulum ICti: *Ego autem,* inquit g), *iuris ciuilis ſtudio multum operae dabam Q. Scaeuolae, P. F.* Porro nonne CICERO ea munera ſumma cum laude geſſit, quibus ſine iuris ſcientia vix ac ne vix quidem fungi potuiſſet? nonne quaeſtor, aedilis, praetor, conſul, proconſul fuit? Addimus eundem multas cauſas in foro egiſſe, multos vel defendiſſe vel accuſaſſe: quod quomodo facere poterat vir moris & legum ignarus? *accuſaui,* inquit ipſe, *de pecuniis repetundis, iudex ſedi, praetor quaeſiui.* Et tune hunc iuris imperitum fuiſſe dicere audes? immo lege orationes illius, nonne

g) in *Bruto.* p. 89.

nonne in omnibus fere multa iuris Romani capita ita explicata ſunt, vt, ſi CICERONIS orationibus careremus, profecto multas hiſtoriae iuris partes ignoraremus: Quot leges nobis plane forent ignotae, niſi earum memoriam ſeruaſſet CICERO! Nihil dico de tribus, quos de legibus ſcripſit, libris. Quid? quod QVINTILIANVS dicit h): *M. Tullius non modo inter agendum nunquam eſt deſtitutus ſcientia iuris, ſed etiam componere quaedam de eo coeperat.* Nam conſilium iam ab aliis agitatum perficere, omneque ius ciuile in genera redigere voluit, deinde eorum genera quaſi membra diſpertire, tum propriam cuiusque vim definitione declarare i). Quae cum ita ſint, cum GVIL. BVDDAEO k) GVIL. GROTIO l) & SCHVLTINGIO m) annumeremus ICtis CICERONEM, qui, licet iocans, ſi ſibi homini vehementer occupato ſtomachus moueatur, triduo ſe ICtum fore dixit n), & in Iurisprudentia numis & gemmis illuſtrata maximi viri

h) in *Inſtit. orat.* XII. 3.
i) de *Orat.* l. c. 42. add. GELLII *Noct. Attic.* I, 22.
k) ad l. 1. ff. de iuſt. & iure.
l) in libro *de Vit. ICtor.* l. I. c. 9.
m) in orat. *de Iurisprudentia Ciceronis.*
n) in *or. pro Murena.* c. 13.

aeternalem vultum exhibeamus. Nominauimus vero in *Vindiciis Horatii* p. 35. 36. plures libros qui illum praeferant. Sed omiſimus tamen quosdam. Nam & *Muſeum Florentinum* T. I. 41. 2. 3. gemmas habet, & collectio MARIETTI P. II. 45. cum facie CICERONIS. Video etiam in *Theſ. Palatino.* p. 71. gemmam: ſed puto eſſe recentiorem, ſi modo recte artifex imaginem laminis aereis incidit. Eadem de cauſa reiicio gemmas cum vultu CICERONIS, quas dat collectio *Capit. Deor. & illuſtr. homin.* EBERMAYERIANA n. 366. 367. 368. Eſt enim in iis eadem ſtulta fraus ab inepto ſculptore commiſſa, quae in capite HERRENHAVSENIANO, CICEROque in gena ſiniſtra cicer additum habet. Quod quam ineptum eſſet, diximus alio loco.

AD MONIM. XVI.—XIX.

Iudicium PARIDIS ſaepe antiquae gemmae & alia monimenta exhibent, & ſemper fere PARIS, vt iudex ſedet, ſtantibus ante eum reliquis deabus. vide MVSEI PASSERII *Lucernas Fictiles* T. II. t. 17. in duabus pateris *Muſei Etruſci* P. I. t. 128. 129. idem apparet, ibique conſpicitur

tur Venus, nudo corpore, arte quadam & ſtudio reiecta veſte, vide duas gemmas *Muſei Florentini* Claſſ. II. t. 24. & *Theſauri Brandenb.* I. p. 43. in quibus res multo elegantius proponitur, quam in hac Ebermeyeriana. Certe ineptit p. 33. interpres, IAC. BAIERVS, *opportune* dicens. *Dea tam ruſticano & iniquo iudici tergum obuertit natesque merenti oſtendit.* Facete mehercule! Fortaſſe ſimilem eſſe cenſuit Mineruam IO. ANTONII CAMPANI, qui carmen de reditu e Germania ita orditur:

Linquo Tridentinas Alpes & Rhaetica ſaxa
Nunquam oculis poſthac aſpicienda meis.
Accipe Campani, ſterilis Germania, terga,
Accipe nudatas, barbara terra, nates. &c. o)

Nempe talia audit Germania hodieque ab iis, quos ſaginauit liberaliter.

XVII. vide numum in MORELLII *Theſ. Numiſm. Imp.* Aug. t. 51. n. 3. 4. adde GOLTZII *Faſtos Magiſtrat.* t. 3.

XVIII. exſtat in *Theſaur. Brandenb.* T. II. p. 375. in OISELII l. c. T. CXI. n. 6. in *Theſ. Morell. Famil. Pompon.* T. I. 1.

XIX. Illuſtratus eſt peculiari libello a CAR. PATINO. Patauii, 1679. 4. vide inprimis *Numophyla-*

o) p. 185. ed. MENCKEN.

phylacium Reginae Chriſtinae T. XVII. illa Diſſertatio exſtat etiam *dans les Recherches curieuſes de l'antiquité.* de Jacqu. Spon. p. 221. ſeq.

AD MONIM. XX.

Eſt repetitum ex IO. BAPT. de CAVALLERIIS *Antiquis Statuis Vrbis Romae,* (a. 1585.) L. II. t. 95. vbi cum titulo exhibetur: *Libertinorum manumittendorum Icon in aedibus Iac. Palutii Albertonii.*

AD MONIM. XXIII. XXIV.

XXIII. Eſt numus in PATINI *Famil.* p. 215. VAILLANTII *Num. Fam.* t. 112. *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 572. & *Theſ. Morell. Fam. Publ.* 3. HAVERCAMPIVS in comment. p. 332. incudem deprehendit, eumque pertinere putat ad malleolum, capiti additum. Id quod probabile mihi inde videtur, quia in alio numo, qui in eodem Theſauro exſtat, litterae CMA in ipſa area numi exſtant; non in quadraturis his. Niſi igitur incus eſſet, quomodo poterant litterae illae omitti, in legum tabulis aut teſſera ſcribendae, non in area numi?

XXIV.

XXIV. numum dat SEGVINVS in *Numiſm. Selecť* p. 14. putatque exprimi ſortem & litteras C S explicat *Caſum* & *Sortem.* reliquam interpretationem ipſius verbis enarrare lubet. Suſpicor, inquit, ab antiquis idem obſeruatum in ludo, quod noſtris temporibus obſeruatur in eo, quem *Primam* vocitamus, vt videlicet cuncti ludentes in procinctu certam & numeratam pecuniae ſummam exhibeant, quam recipere non liceat ante ludum conſummatum, quod nos cauare dicimus Itala dictione, annon etiam pro arra in manus magiſtri ludi deponebatur ea ſumma, quae reſponderet notis & tabellis quibusdam ab eo acceptis pro certa pecuniae ſumma, quibus pauculis ingens argenti pondus deſignabatur vt iactura leuior appareret, ingenioſo lenimento vſque dum relatae & repraeſentatae tabellae pecuniam amiſſam exigerent. Haec SEGVINVS. VAILLANTIVS autem in notis & obſeruationibus ad hunc librum p. 418. credit, numum exhibere Sortem, ludorum praeſidem, & opinionem cuiusdam exponit, exiſtimantis, litteras explicandas eſſe *Cape, Solue.* Ipſe vero arbitratur, CASSIODORVM narrare a. V. C. DCXXXVIII. M. METELLO & M. SCAVRO COSS. L. METELLVM & CN. DOMITIVM, Cenſores, artem ludicram

ex

ex vrbe remouiſſe praeter latinum tibicinem & ludum talorum. Hanc videri cauſſam fuiſſe legitimam numi cudendi, ideoque litteras explicandas: *Cenſorum Sententia.* Ad ipſius numi ſenſum quod attinet, expoſuimus de eo in illo libro, quem de numis contumelioſis ante paucos dies ſcripſimus, quare nolumus ibi dicta repetere. Addamus potius quaedam alia.

Deam Sortem oſtentat etiam alius numus cum inſcriptione: M. PRAETOR. CEST. S. C. SORS. adeſt effigies puellae, ſatis comtae & ornatae, Sortem repraeſentans. Capſulam quadratam ante ſe habet, quaſi ſortibus cuſtodiendis & diſtribuendis aptam. vide eum in PATINI *Famil.* p. 209. in OISELII l. c. T. LIV. 2. VAILLANTII *Famil.* t. 110. GORLAEI *Theſ. Num.* t. 28. n. 3. Theſ. MORELLIAN. ſ. *Fam. Praetor.* T. I. 1. 2. 3. ibique HAVERCAMPIVM in commentario p. 323. & in *Muſeo Pembrochiano* P. III. t. 3. Talos fuiſſe oſſicula biſulcis animalibus exemta verum eſt. vid. PLIN. *Hiſt. Nat.* XI. 45. ſed ludebant etiam talis ex ebore, auro argentoque ad illorum ſimilitudinem factis. vid. TVRNEBVM in *Aduerſar.* XVIII. 12. XXVII. 3. IVNIVM in *Animadu.* II, 4. DELRIVM *ad Senecam* p. 242. 243. eosque, qui rem aleatoriam veterum expoſuerunt,

ſuerunt, vt CAEL. CALCAGNINVM, IO. MEVRSIVM, IVL. CAES. BVLINGERVM & alios.

AD MONIM. XXVI.

Hunc numum GROTII vna cum alio in eius memoriam honoremque cuſo dant BIZOT *dans l'hiſtoire Metall. de la Republ. de Hollande* p. 206. & VAN LOON *dans l'hiſtoire Metallique des Pays-Bas* P. III. p. 134. & p. 281.

AD MONIM. XXVII.—XXIX.

Etſi facile fieri potuerit, vt legis tam nobilis, qualis erat, quae praemiis poenisque ciues ad matrimonia iuſta ineunda adegit, Iulia de maritandis ordinibus, id quod nemini dubium videbitur, legenti, quae ſuper hac lege, LIPSIVS, BRISSONIVS, IAC. GOTHOFREDVS & HEINECCIVS ſcripſerunt, memoria numis conſignaretur, hos tamen tres longe aliud indicare puto. Primus exſtat in *Theſ. Morell. Imp. Aug.* T. 57. n. 2. SECVNDVS datur ibidem t. XI. n. 28. & a SPANHEMIO ad *Iuliani Caeſar.* p. 229. adde p. 416. TORRENTIoque ad *Sueton. Aug.* c. 14. p. 20. ed. BVRM. qui etiam illum ad legem Iuliam refert. Tertius exhibetur ibidem Tab. XVIII. n. 14.

n. 14. in *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 609. & apud OISELIVM l. c. T. LXXII. n. 5. Quod putant primo & altero numo ſignificari illud, quod SVETONIVS *cap. 34. in Aug.* narrat: *adcitos Germaniti liberos receptosque partim ad ſe, partim in patris gremium oſtentauit, manu vultuque ſignificans, ne grauarentur imitari iuuenis exemplum:* non ferri poſſe inde apparet, quod a V. DCCXLVI. quo Imperatoris titulum XIV. geſſit, neque CAIVS, neque LVCIVS puerulì erant. Quare rectius SPANHEMIVS & SCHLEGELIVS ad *Theſ. Morell.* p. 235. putant: Parthum chlamyde ornatum exhiberi, ſiue Tiridatem, qui cum Phraatis puero ad AVGVSTVM confugit. In tertio numo BEGERVS & OISELIVS putant legatos ſiue Parthorum, ſine Pannoniorum, pacem petentes exhiberi. Hoc verum eſt, petentes pacem populos hoc habitu proponi. Sic in numi cuiusdam auerſa parte SVLLAE togato & in ſubſtructione ſedenti, BOCCHVS MAVRVS ingeniculatus oliuae ramum porrigit: poſt Iugurtha in alterum genu prolapſus, manibus reuinctis poſt terga. vide eum in PATINI *Famil.* p. 88. in BEGERI *Coniect. & Obſeru.* p. 41. & in *Theſ. Morell. Fam. Corn.* T. IV. 3. Sed docte oſtendit SCHLEGELIVS in *Theſ. Morell. Imper.* p. 248.

non

non componi poſſe eorum opinionem, qui legatos deprehendunt cum titulo numi IMP. X. ideoque nihil clarius eſt, quam intelligendos eſſe TIBERIVM, DRVSVMque AVGVSTO laurum offerentes, alterum ob PANNONIOS, ob deuictos GERMANOS alterum. Huc etiam refertur a quibusdam ille in *Theſ. Morell. Imp. Aug. M.* 10. n. 20. cum inſcriptione: CAESAR AVGVSTVS in area, intra duo lauri ramos, quibus duplicem victoriam indicari arbitrantur: quanquam SCHLEGELIVS diſſentit p. 216. Certior eſt interpretatio ſimilis numi in *Gotha Numaria* p. 243. vbi reliqua conueniunt, praeterquam quod vnus tantum homo adeſt, qui e LIEBII ſententia eſt TIBERIVS ob PANNONIAM victoriam laurum offerens, neque enim laurum, neque gladium, qui ad latus illius apparet, legato conuenire putat. Ipſe etiam habitus velociter & rapide accedentium hominum in noſtro numo videtur mihi gratulantium potius, quam petentium proprius.

AD MONIM. XXXI.

Eadem gemma, niſi quod capilli Caci paullo alii videntur, exſtat *dans les pierres gravées* MARIETTE. T. I. n. 89.

AD MONIM. XXXII. – XXXVI.

XXXII. Sumta eſt haec gemma e *Theſ. Brandenb.* T. III. p. 207. XXXIII. exſtat haec in GORLAEI *Dactyliotheca* II. 49. aliam FAVSTVLI imaginem cum lupo lactante adſpice in Gemma *Muſei Florentini.* T. I. t. 2. n. 10. fere ſimilis eſt in *Muſeo Cortonenſi.* t. 55. ſed inſidet auis arbori, & FAVSTVLVS vno genu flexo, complofisque manibus admirationem prae ſe fert. vide ibi interpret. p. 78. XXXIV. v. GORLAEI *Dactyl.* I. 138. XXXV. etiam haec inde repetita II. 53. fere ſimilis, niſi quod canis abeſt, ibidem I. 166. eſt: conſpicitur etiam in *Theſ. Palatin.* p. 95. confer *Theſ. Brandenb.* I. 166. & GORII *Gemmas Aſtrifer.* t. 181. quae gemmae habent etiam caprarium. XXXVI. huic ſimillimum caprimulgum habet numus TITI cum epigraphe IMP. XIII. in *Theſ. Morell. Imp. Titi*, t. 7. 41. & comparetur numus CYZICENORVM in *Numophyl. Reginae Chriſtinae* t. 60. & in *Cimeliarcho Caeſ. Reg. Auſtr. Vindobon.* T. I. t. 20. 4.

AD MONIM. XXXVIII ET XXXIX.

Priorem numum dat PATINVS in *Famil.* p. 67. *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 546. SPANHEM. *de*

de Vſ. & Pr. N. Diſſ. X. p. 200. Similem etiam vide in *Gotha Numaria* p. 224. ſed loco A. conſpicitur V. qualem etiam dat VAILLANTIVS in *Famil.* t. 37. & putat filium CASSIVM plures patris leges indicare, atque ideo litteram, a qua omnes incipiant, id eſt VTI vel VTIQVE, in tabella tenere, & adeſſe ciſtam, in qua repoſitae leges aſſeruatae ſint. Quid in GORLAEI numo in *Theſ. N. R.* t. X. 10. vbi idem numus ſibi velit M. non capio: niſi forte artificis ibi error eſt. Ego omnino puto eſſe A. & hanc litteram notare: *Abſoluo.* Nam verbum *Antiquo,* vt SPANHEMIVS cenſet, vel mali ominis cauſa noluiſſe auctorem numi apponere, veriſimile eſt.

Secundus numus, quantiuis pretii, ſepta ſeu cancellos comitiorum, pontes, ciſtam & diribitorem habens, datur a GOLTZIO in *Faſtis Magiſtr.* p. 207. PATINO in *Famil.* p. 149. VAILLANTIO in *Famil.* t. 132. OISELIO l. c. T. CXII. 1. GORLAEO in *Theſ. N. R.* T. 21. 2. *Theſ. Morellian. Gent. Licin.* SPANHEMIO *de Vſ. & Pr. Num. Diſſ. X.* p. 193. Elegantiſſime etiam hunc numum aereis laminis inciſum videmus *dans la Diſcours ſur les Medailles & graveur. antiqu.* p. M. ANTOINE LE POIS. (Paris. 1579. 4) tab. G. n. 4. quem librum gaudeo in meas

manus incidiſſe, cum ipſe illuſtris SCHLAEGERVS in Praefat. ad VIONNETI *Muſeum Numarium* p. 7. fateatur ſe fruſtra occaſionem captaſſe libellum hunc, rarenter obuium, inſpiciendi.

Addam ego tertium. In Aduerſa caput, cum verbo CONCORDIA: in auerſa: L. MVSSIDIVS LONGVS. oſtentat comitium cum cancellis, Scala portaque, per quam ad comitia vocati immiſſi, duoque togatos, ſuffragia in vrnas coniicientes: infra CLOACIN. id eſt, Cloacína Veneris, cuius ſimulacrum ibidem erat, dant eum *le Pois* l. c. tab. G. 3. GORLAEVS l. c. t. 25. 2. GOLTZIVS in *Numiſm. Iul. Caeſar.* t. 13. & 37. VAILLANTIVS l. c. t. 12. & 99. PATINVS l. c. p. 182. conſule de eo SPANHEMIVM l. c. pag. 193. & HANTHALERVM in *Praelud. Exercitat. Dial. XVII.* p. 148. Horum trium numorum cauſa gratiae ſunt agendae antiquitati, quae illis probe ſeruauit ritus antiqui memoriam.

AD MONIM. XLVII. XLVIII. XLIX.

Numi hi exſtant in VAILLANTII *Famil.* t. 139. adde GORLAEI *Theſ.* t. 34. *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 590. PATINI *Famil.* p. 202. p.

278. GOLTZII *Numiſm. Auguſt.* t. 40. n. 13. *Theſ. Morellian.* ſ. famil. Tituria.

AD MONIM. L.

Numus hic eſt in BANDVRI *Numiſmat. Imperat.* T. II. p. 767. adde OCTAVIVM STRADAM de *Vit. Imper. & Caeſar. R.* p. 352. 353.

De origine aquilae imperii bicipitis, de qua recenſitis aliorum opinionibus refutatoque LVDEWIGII errore breuiter, ſed accurate praeter alios agit KOEHLERVS p) neque poſſum, neque volo, aut noui aliquid dicere, aut ab aliis dicta repetere. Illud tamen faciam, vt quae ab iis, quos ſuper hac re conſului, praeterita eſſe vidi, e numis admoneam. Forte vtilia haec poſſunt illi eſſe, qui haec ſcrutari diligentius accuratiusque de re exponere voluerit. Aquilam fuiſſe perpetuum regum Aegyptiorum inſigne e plurimis numis conſtat q). Fuit vero imprimis ſymbolum Romanae maieſtatis r). Scipionem, ſupra quam aquila, regum & poſtea triumphantium

E 3 inſigne

p) in *Hiſtoriſchen Münzbeluſtigung.* P. II. p. 7.

q) v. BEGERVM ad *Theſaur. Palatin.* p. 143.

r) v. IAC. WILDIVM ad *Numos ſelectos* p. 133. & TRISTANVM in *Commentariis.* P. III. p. 295.

inſigne, imo conſulum fuiſſe [s]) ſciunt, qui recordantur verſum IVVENALIS:

Da nunc & volucrem ſceptro quae ſurgit eburno [t]). quale ſceptrum etiam exteris regibus ad confirmanda illorum imperia miſerunt [u]). Atque ille ſceptro inſidens aquila apparet quoque in numis Imperatorum vt GALBAE [x]), DIOCLETIANI [y]) & MAXIMIANI [z]) GETAE [a]) FL. VAL. CONSTANTII [b]), PROBI [c]) & aliorum. Accedamus ad aquilam duplicem. Aquila duplex inſiſtens lepori, id eſt, venationis ſymbolum, eſt in Agrigentinorum numis [d]). Eſt porro numus CONSTANTII [e]) cum inſcriptione: MEMORIA FELIX: & cernitur ara accenſa inter duas aquilas.

s) v. NORISIVM in *Theſ. Sallengriano* T. I. p. 395. & CVPERVM in *Clariſſ. Viror. epiſtol. de re Numiſm. ad Goetzium* p. 31.

t) Sat. X. 43.

u) v. DIONYS. Halicarn. III. p. 196. IV. p. 268. V. p. 314. & conſule PETR. FABRI *Semeſtr.* I. p. 187. & SALMASIVM ad *Vopiſci Aurel.* c. 13.

x) *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 628.

y) *Muſeum Florent.* Cl. I. 4. 5.

z) ibid. t. 55. n. 3. v. GORIVM p. 80.

a) *Theſ. Palatin.* p. 363.

b) *Theſ. Brandenb.* P. III. p. 165.

c) ibid. P. I. p. 373.

d) *Theſ. Palatin.* p. 206.

e) in OISELII Theſ. t. 106. 9.

aquilas. Numus TITI f) exſtat, cum epigraphe COS. VI. Roma galeata ſedet ſuper arma disiecta: iuxta pedes lupa lactans ROMVLVM & REMVM, & ad caput vtrumque duae aquilae aduolant, quanquam GORIVS g) male, vt puto, exiſtimat, eſſe duo vultures, romamque optima atque auſpicata auguria ſibi promittentem ſub imperio TITI exhiberi. Denique eſt numus TREBONIANI GALLI h) in quo vexillum erectum inter duas aquilas, quibus alii putant notari imperii Romani ſecuritatem, valente Imperio, valente exercitu: alii veteranas ex duabus legionibus in colonias ductos inueniunt. Obtulerunt ſeſe etiam mihi duo numi, quibus egregie duplicem Imperii aquilam illuſtrari puto. Alter i) eſt Vero a Pruſienſibus ad HYPIVM dicatus, habetque iuuenem nudum, quauis manu aquilam gerentem, lauro inſidentem, qui iuuenis, cum radiato capite ſit, viro docto Orientis genius videtur, & victorias Veri ad Orientem & Occidentem

f) Ibid. t. 29. 3.

g) ad *Theſ. Morell. Imp. Titi.* T. V. n. 37. p. 350.

h) v. BANDVRII *Numiſm. Imp.* T. I. p. 70. adde VAILLANTII *Num. Praeſt. Imp.* T. II. p. 99.

i) v. TRISTANI *Commentar io* P. II. p. 305.

indicat. In altero numo[k]) eſt in antica parte Romae caput, cum epigraphe INVICTA ROMA: in poſtica ficus numinalis inter duas aquilas, infra numerus: XX. Intelligi, inquit HAVERCAMPIVS[l]), per duas aquilas videtur imperium vetus Romanorum & Gothorum, cuius eo tempore annus habebatur vigeſimus. Nempe e veſtitu coniicit non male, numum hunc eo tempore cuſum fuiſſe, quo Gothi Italiam poſſiderent[m]). Non iniucundum forte quibusdam erit, praeſertim cum liber non omnium in manibus ſit, huc transferre, quae RODVLPH. VENVTI notauit ad explicandum SCARABAEVM in lapide viridi AEGYPTIO[n]). Plurimum, inquit, torſit, eruditorum ingenium hic AEGYPTIVS lapis, cum tam ex lapide, quam ex SCARABAEI eleganti forma AEGYPTIAM pati videatur ſculpturam: tamen cum in aduerſa parte aquilam bicipitem, ſerpentina cauda, characteribusque ignotis refertum cernerent, purum putumque figmen-

k) v. GORLAI *Theſ. N. R.* T. 44. n. 6. & *Theſ. Morell.* ſ. Vrbis Romae num. T. I. 15.

l) in *commentar.* p. 475.

m) adde PATINI *Numiſm. Imper.* p. 2. & HANTHALERI *Praelud. Exercitat.* tab. VI. n. 4.

n) in *Collectan. Antiq. Roman. Anton. Borioni.* t. 81. p. 58.

ſigmentum ad eruditos illudendos confictum putarunt: alii aequiores RVTENICVM (forſan Amuletum) exiſtimarunt, cum litterae quae ex vtroque latere ſunt inſculptae ad Rutenorum characterem, qui & aliquid Graeci prae ſe fert, propius accedant. Tamen inter BASILIDIANAS gemmas puto referendam, cum inter harum collectores aliquid fere ſimile nobis inſpicere licuerit: atque praeclarus numus maximi moduli adſit in celeberrima Mediceorum gaza, in cuius poſtica parte ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ ΠΕΡΓΑΙΑϹ in templo epiſtilio cernitur, atque in eiusdem faſtigio aquila biceps patentibus oculis appareat, ſicut in Aegyptio lapide. Haec VENVTIVS. Caeterum de duplice aue aliquid addere iuuat. Alia quoque animalia pari modo coniuncta in numis antiquis videmus. In numo aureo TITI ſunt duo capricorni corporis parte poſteriore ita coniuncti, vt quaſi coaleſcant, orbem ſuſtinentes medium. In alio argenteo eſt idem typus, niſi quod in medio clypeus, in quo litterae S. C. & ſub clypeo globus. Eſt etiam numus Athenienſium qui habet noctuam duplicem, ſed vno tantum capite &c. Attuli haec, quia indagatori antiquitatum non iniucunda fore exiſtimaui.

AD MONIM. LI.

Numum dat OISELIVS l. c. t. XV. 9. qui p. 76. putat, ipſum HADRIANVM ſiniſtra tenentem, ſchedulas ſyngraphas in terra iacentes incendere, atque remittere publica & fiſcalia debita tam ciuium Romanorum, quam reſidua prouinciarum, ex praeteritis vectigalibus & tributis. Vnice huc facit locus SPARTIANI in *vita Hadriani* p. 4. C. edit. Pariſ. 1620. *Ad colligendam autem gratiam nihil praetermittens infinitam pecuniam, quae fiſco debebatur priuatis debitoribus in vrbe atque Italia, in prouinciis vero etiam* ex reliquis *ingentes ſummas remiſit, ſyngraphis in foro Traiani, quo magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis,* ad quem locum vide SALMASIVM p. 16. Hunc & alium numum, vbi tantum vnus vir apparet, vide in *Numophyl. Reg. Chriſtinae* T. XI. adde SPANHEMIVM de *Vſ. & Pr. Num. Diſſ.* XIII. p. 552. & HANTHALER. *P. II. T. V. S. Dial.* 15. Remiſit vero HADRIANVS XXII. & dimidiatum milliones, vt GRONOVIVS *de Pec. Vet.* IV, 3. rationes ſubduxit, adde etiam PAGIVM in *diſſert. Hypat.* P. II. c. 2. p. 100.

AD

AD MONIM. LII.

Numum dant GOLTZIVS *Faſt. Magiſtr.* p. 159. PATINVS in *Famil.* p. 98. VAILLANTIVS in *Famil.* t. 57. in *Theſ. Brandenb.* II. p. 554. SPANHEMIVS l. c. *Diſſ. X.* p. 230. cuius in operis praefatione p. 5. VERBVRGIVS etiam de eo ſuo more diſputat: in *Theſ. Morell. Fam. Did.* n. 1. vbi copioſiſſime ab HAVERCAMPIO in commentar. p. 151. explicatur, omnium opinionibus enarratis. GOLTZIVS vtrum res geſtas in Hiſpania a DIDIO, an ſeruilis victoriae memoriam deſcribi crederet, dubium reliquit. SEB. ERIZZIVS dubitat, vtrum ad proſperam DIDII contra CELTIBEROS pugnam, an ad memoriam ſecundi belli ſeruilis in Sicilia referendus ſit: VRSINVS, BEGERVS, VAILLANTIVS centurionem vite punientem militem deprehendunt. Cl. HOMMELII opinio iam a IAC. GRONOVIO & HAVERCAMPIO prolata fuit, qui recte arbitrati, exprimi Scythas, ſeruos rebelles virgis vincentes, quam hiſtoriam verboſe narrat IVSTINVS II, 5. relato numo ad eum DIDIVM, qui a V. DCLV. conſul fuit, & praetor cum Thracibus & Scordiſcis bellauit. Locis quae V. Cl. de vite, centurionis inſigni attulit, addo vnum LVCANI *Pharſ.* VI, 144.

Scae-

Scaeua viro nomen: caſtrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes: ibi ſanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.

AD MONIM. LIV.

Numae facies etiam apparet in nummo raro quem dat *le Pois* l. c. tab. A. 2. vide eandem in gemma a MARIETTO datam. P. II. 39. & in *Muſei Florentini Gemm.* I. 1. n. 1. 2. Inprimis eſt memorabilis gemma antiquiſſima *Muſei Cortonenſis* tab. LXXII. quae Numae nomen non vulgari artificio in regio diademate exciſum habet. Ebermeyerianas pupas non curo.

AD MON. LV. LVI. LVII.

De Fecunditate Auguſtarum vide *Muſeum Pembrochian.* P. III. t. 61. LV. in *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 675. LVI. vid. *Chriſtinae Reg. Numophyl.* t. 20. TRISTANVM in *Commentar.* P. I. p. 658. PATINVM in *Num. Imp.* p. 248. OISELIVM l. c. T. 57. 8. Egregie, vt ſolet, hunc lectum, ANTONINVM & COMMODVM, gemellos ſuſtinentem, illuſtrat SPANHEMIVS ad IVLIANI Caeſar. p. 11. confer HANTHALER. in *Exercit.* P. II. *dial.* 24. p. 216. LVII. in *Theſ. Brand.* II. p. 678. Cauſis penuriae liberorum

apud

apud ROMANOS neſcio an prae aliis omnibus accenſendus ſit amor erga pueros.

AD MONIM. LVIII.

De origine nominis *rotae,* quo ſummum Pontificis iudicium indicatur, memini me etiam legere in IANI NICII ERYTHRAEI *Pinacotheca* I. p. 145. hanc rationem reddi. *Seraphinus Olivarius, Lugdunenſis, ita annis quadraginta in circulari illo iudicum Romanorum conſeſſu, quem a ſubſelliorum, vt arbitror, forma,* Rotam *appellant, cognoſcendis cauſis praefuit.*

AD MONIM. LXI.

Numum dat PATINVS in *Theſ. Num.* ſuorum p. 14. SPANHEMIVS ad *Iuliani Caeſares* p. 112. & HARDVINVS ad PLINII *Hiſt. Natur.* T. I. t. 6. p. 389. Varia, vt ſolet aeternus pater ineptiarum, falſa commentus. Nam nec Latine pronunciat dici *Victorioſus,* &, *ſi, inquit,* VICTORIOSVS *dici poſſet, qui ex omni acie victor diſcedit, vt* ebrioſus *eſt, qui ex omni conuiuio ebrius, fruſtra vox illa altera* ſemper *adderetur. Legendum hic omnino eſt: Virtuti Inuicti Caeſaris Tutatori Orbis Romani Imperatori Optimo Statuam*

Statuam Obtulit Senatus Eduenſis Memoriae PER*petuae*. Haec credat, cui volupe eſt. Nobis verbum *Victorioſus* Latinum eſſe, perſuadent etiam marmora, antiqua, quorum ſtudium cum numariae rei ſtudio feliciſſime coniungitur. Apud GRVTERVM p. CCLXXVIII. legitur:

VICTORIOSISSIMO PRINCIPI IVVENTVTIS M. AVR. CARINO. & p. CLXX. 5. SALVIS DOMINIS NOSTRIS HONORIO ET THEODOSIO VICTORIOSISSIMIS PRINCIPIBVS.

Ad p. 166. (*primum Graeci* &c.) inprimis huc pertinet TRAPEZVNTINA tabula apud MONTEFALCONIVM in *Palaeograph.* L. II. c. 7. p. 174. in qua de IVSTINIANO legitur: *ευσεβης ευτυχης ενδοξος νικητης τροπαιουχος αεισεβαςος αυγουςος*. Sed iuuat etiam alia quaedam addere, imprimis cum non videam ea obſeruata ab iis, qui titulum *ſemper Auguſtus* illuſtrandum ſibi ſumſerunt, e quibus prae aliis conſulere potes SCHVRZFLEISCHIVM in diſſert. *de titulo Auguſti cum additionibus. Obſeru. ſelect. Halenſes* T. IV. n. 14. §. 18. *Euer. Reuſch de Imperatoris titulo.* P. I. §. 14. Cum antea Imperatores in quinquennium, decenniumque imperium

perium recepiſſent, titulis aliis hic ſeculo III. adiectus eſt. Primus eo vſus videtur SEPTIMIVS SEVERVS, qui deinde THEODOSIANO aeuo frequentiſſime vſurpatus fuit. vide GRVTERI Inſcript. p. CCLXXI. 4. CCLXXII. 9. CCLXXIX. 2. Elegantius dicebantur *perpetui*. v. ibid. CLX. 6. CXI I. 3. CXCIX. 4. Sed veniamus ad numos. Eſt vero egregius maximique moduli in VAILLANTII *Num. Praeſt. Imper.* T. III. p. 259. cum inſcriptione; D. N. VALENS. VICTOR. SEMPER. AVG. ſed in hoc numo dubium videri poteſt an *ſemper* cum ſequente verbo ſit coniungendum. Alius eſt cum inſcriptione VIT. CAESAR IMPERATOR PONT. PPP. C. SEMPER AVGVSTVS. cum VITELLII capite laureato *dans les Memoires de Treuoux. a 1704. menſ. Dec.* p. 421. Sed GRAINVILLIVS numum reiicit, nec hunc titulum illi ſeculo conuenire arbitratur. CANGIVM vero dare numum IVLIANI, cum verbis D. N. IVLIANVS SEMPER AVG. aliunde diſco. vide IOBERTVM *dans la ſcience des Med.* T. I. p. 242. & BIMARDI notas p. 279.

AD

AD MON. LXII – LXVII.

De his Romanorum inſignibus loquentibus non ſine fructu conſulentur PHIL. a TVRRE in *Monim. Vet. Antii.* p. 20. 21. SPANHEMIVS in aeterno opere. *Diſſ. X. p. 61.* & HAVERCAMPIVS ad *Theſ. Morell. Famil.* p. 467.

LXII. numus eſt in *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 602. PATINI *Famil.* p. 299. VAILLANTII *Famil.* I. 149. *Theſ. Morell. Fam. Vocon.* & *Imperat. Iul. Caeſ.* t. III. 18. V, 14. 15.

LXIII. exſtat apud PATINVM l. c. p. 207. VAILLANTIVM p. 109. *Theſ. Morell. Fam. Pinar.* 5. 6. & Imper. Aug. XXXI.

LXIV. in *Theſ. Brandenb.* II. p. 561. apud PATINVM p. 260. VAILLANTIVM t. 87. & in *Theſ. Morell.* ſ. *fam.* LVCRET.

LXV. LXVI. vide ibidem *ſub famil. Valer.* t. 1. & in *Theſ. Brandenb.* II. p. 591. & apud VAILLANTIVM t. 140.

LXVII. vid. ibid. t. 115. 116. & in *Theſ. Morell.* ſ. *famil. Pompon.* t. 2. quanquam inter PERIZONIVM & MORELLIVM diſceptatio fuit, vtrum verbum *Muſa* numo inſcriptum, Q. POMPONII cognomen, an deae ipſius indicium ſit. confer. LVDOV. CHRIST. CRELLII *Antonium*

nium Muſam obſeruationibus varii generis illuſtratum, Lipſ. 1725.

Hiſce Cl. Auctoris addam ego vnum exemplum. Eſt in *Theſ. Morell. Imp. Aug.* t. 42. n. 24. numus, quem cudit VRSO, colonia Romanorum in Hiſpania, quam Genuam Vrbanorum vocatam fuiſſe PLINIVS ſcribit. In antica parte VRBONE, caput AVGVSTI nudum: in poſtica vrſus erectus & in pedibus poſterioribus ſe ſuſtinens anteriorum dextro habet tauri ramum, ſiniſtro forte corollam. Hic numus ideo memorabilis eſt, quia oſtendit, non ſolum vnum alterumue priuatorum hominum, ſed totas etiam vrbes & colonias ſigna loquentia habuiſſe.

AD MON. LXIX — XC.

LXIX. Eſt in VAILLANTII *Famil.* t. 136. LXX. in *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 587. LXXII. in GOLTZII *Faſtis* p. 82. LXXV. in VAILLANTII l. c. t. 3. LXXXVI. dat nummum & explicat *Bouteroue dans les Recherches des monnoyes de la France* p. 130. adde LANGII *diſſ.* de *Num. Inf. aeui.* n. 77. & BIMARDI notas ad IOBERTVM T. II. p. 65. LXXXVIII. Aequitas cum ſpicis & bilance apparet in gemma *Theſ. Palat.* p. 48. adde GORLAEI *Dactyliothec.* P. I. t. 14 Pulchrum nummum GETAE, cum inſcriptione AEQVITATI PVBLICAE & tribus deabus dat SPANHEMIVS ad *Iuliani Caeſar.* p. 72. & alium PROBI in opere magno: *Diſſ. XII.* p. 308. Memorabilis eſt etiam ille Aequitatis ſymbolo inſignitus numus apud TRISTANVM in *Commentar.* P. III. p. 99. vbi prope pedes ſingulae deae caput humanum habent; quo typo vir doctus putat tres terrarum partes indicari. XC. quoniam infinitis in numis haec deae occurrunt, non lubet indicare alios quam peculiares, quique a reliquis diuerſi ſint, numos. In numis COMMODI in *Muſeo Florent.* T. I. Cl. II. t. 45. ſunt eaedem deae, ſed mediae ſubiecta eſt baſis, nem-

pe

pe vt GORIVS in notis T. II. p. 175. dicit, media aurea, argentea a dextra, & a ſiniſtra aerea eſt. Earundem dearum idem typus, vt in nummo ab V. C. dato, apparet in Lucerna FICTILI *Muſei Paſſerii* P. I. t. 41. ſed tribus metalli maſſis inter quamque dearum in altum exſurgentibus, quae imago etiam in nummis occurrit, vt in nummo CLAVDII in *Muſ. Florent.* T. I. t. 87. Cl. II. ſed media dea lanci additam habet longiorem baculum. Cur in nummis exhibitae deae hae, docet BONARROTIVS ad *Numiſm. Max. mod. e Muſeo Carpin.* p. 247. 311. Quatuoruiri flandae Monetae dignitas occurrit in nummo dato a SPANHEMIO l. c. Diſſ. X. p. 168. de IVNONE Moneta vide IOACH. MEIERVM in *Comment. de nummo quodam aureo Poſtumi* p. 29. *Deorum Dearumque capita ex ant. numiſm.* ABR. ORTELII *illuſtrata a* FRANC. SWEERTIO. p. 75. WAGENSEILII *de re monetal. Vet. Rom.* p. 8. FREHERVM *de re monetaria Vet. Rom.* L. I. c. 2. p. 1411. T. XI. Theſ. GRAEVII, & PATINI *Hiſtor. Numiſm.* c. 5. p. 34.

AD MON. XCI – CII.

XCI. Eſt ANTONINI PII nummus, ſed paullo alius *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 665. adde VAILLANTII *Num. praeſt. Imper.* T. I. p.72.

XCII. exhibetur memorabilis nummus a SPANHEMIO ad *Iuliani Caeſ.* p. 419. adde VAILLANT. l. c. T. II. p. 117.

XCIII. XCIV. eosdem SPANHEMIVS ibidem p. 241. illum etiam PATINVS in *Theſ. Num. ſuor.* p. 156. adde *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 648. OISELII l. c. T. X. n. 11. 12. *Numophyl. Reg. Chriſtinae.* T. X.

XCV. Similem nummum VERI exhibet PATINVS l. c. p. 172. in aere maximi moduli, & *Theſ. Brandenb.* II. 677. hunc vero dat idem PATINVS in *Num. Imper.* p. 255. Putat regem iſtum eſſe SOAEMVM, ACHAEMENIS filium, ARSACIS nepotem. Idem eſt in OISELII l. c. T. XIX. 10. hac differentia, vt S. C. abſit, & ARME legatur.

Ad totum hoc caput confer in *Muſeo Pembrochian.* P. III. t. 72. quae titulum: REGNA ADSIGNATA praefert.

Addam

Addam HOMMELIANIS alium, quem a SPANHEMIO ad *Iulian.Caeſ.* p. 185. mutuum ſumſi. Monſtrat in eo Imperator togatus digito aliquem ante ſe ſtantem epigraphe: REX ARMENIIS DATVS. s. c. add. *Numoph. Chriſtinae.* t. XVI. SPANHEMIVM in opere diuino Diſſ. XIII. p. 581. & 582. & FROELICHIVM *de Vtilit. Numor. Veter.* p. 24.

Imitata eſt veterem magnificentiam Gallia, ad humilem LVDOVICI XIV. tempore adulationem proiecta. Cuſus enim eſt eo tempore, quo Hiſpania ducem Andegauenſem regem cupiebat, numus cum inſcriptione: REX HISPANORVM VOTIS CONCESSVS.

C. Numus eſt apud OISELIVM l. c. T. IV. 2. in *Numophyl. Chriſt.* T. V. etiam, niſi quod S. C. abeſt, & ſubſtructio aliquantum ornatior videtur in *Theſ. Morell. Imp. Vitell.* t. III. 1. vide etiam SPANHEMIVM l. c. Diſſ. XII. p. 475. & HANTHALER. in *Exercit.* P. I. dial. V. p. 36.

CI. v. GOLTZII *Faſtos* p. 234. Eiusdem *Num. Auguſti.* t. 70. PATINI *Famil.* p. 270. VAILLANTII *Fam.* t. 135. & *Theſ. Morell. Fam. Sulpiciae* t. II. 4. HAVERCAMPIVS p.

 408.

408. recte docet, depingi noua roſtra, ſiue IVLIA, quae AGRIPPA aedificari curauerat in AVGVSTI honorem & roſtris ex Actiaca pugna relatis ornauerat a V. C. DCCXXVI. cum ipſe conſul eſſet II. cum Imperatore AVGVSTO VI. vnde ſedentes in roſtris conſules AVGVSTVS & AGRIPPA apparent. Mentionem horum roſtrorum facit DIO CASSIVS L. LVI. p. 592. ἀπὸ δὲ τῶν ἑτέρων ἐμβόλων τῶν Ἰουλίων. accuratius vero rem explicant prae aliis NARDINVS in *Roma vetere.* L. V. c. 3. & IVL. MINVTOLVS *de aedificiis iudicialibus.* S. II. SVLPICIVM PLATORINVM non noui: nec me FVLVIVS VRSINVS iuuat.

CXI. Nummus eſt in OISELII l. c. t. IV. 3. quem v. p. 3. & in *Theſ. Morell. Imp. Claudi* T. IV, 19. vbi v. commentar. p. 14. & numum ſiue Monimentum. XCIX. vide in GOLTZII *Faſt. Magiſtr.* p. 7. & 165. adde SPANHEMIVM l. c. Diſſ. X. p. 101. vbi duo alii non minus memorabiles hoc nomine occurrunt.

Non poſſum praeterire, me tranſuectionis typum, id eſt, equitem manu adducentem equum ſuum reperiſſe in lucerna fictili *Muſei Paſſerii* T. II. t. 18.

AD

AD MON. CIII. CIV. CV.

Numus eſt ap. OISELIVM l. c. t. XVI. 12. in *Theſ. Brandenb.* III. p. 110. & SPANHEM. l. c. *Diſſ. VI.* p. 354. confer. FROELICHIVM in libro modo laudato p. 26. Deſignatur tributum a Iudaeis fiſco Romano ſoluendum: per calumnias deſignantur delationes, quibus innumeri impietatis & ritus Iudaici accuſabantur, neque tamen aſſentior iis, qui putant didrachmos illos ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ a Iudaeis cuſos & quotannis Ioui Capitolino ſoluendos fuiſſe: Neruam autem hoc tributum remiſiſſe. vid. LIEBIVM in *Gotha Numar.* p. 369. Nec ſine fructu legetur SELDENVS in I. N. & G. L. VI. c. 18.

CIV. vide PATINVM in *Num. Imp.* p. 126. & ad *Sueton.* t. 26. 4. etiam SPANHEMIVM l. c. *Diſſ. XII.* p. 549.

CV. Eſt in *Theſ. Brandenb.* T. II. p. 642. & OISELII l. c. T. CXII. 3. Vterque in aere maximi moduli datur a PATINO *Theſ. Numiſm. ſuor.* p. 115. ſed haſtas & clypeos prope equum alterum non video. adde *Numophyl. Reg. Chriſt.* T. IX. & conſule SPANHEMIVM l. c. *Diſſ.* XIII.

 p. 562.

p. 562. & HANTHALER. in *Exercit.* P. II. dial. XV.

Ad illum numum intelligendum mire facit locus SVETONII in *Domit.* c. 12. *Praeter caeteros* Iudaicus fiſcus acerbiſſime *actus eſt: ad quem deferebantur, qui vel improfeſſi Iudaicam infra vrbem viuerent, vitam, vel diſſimulata origine impoſita genti tributa non pependiſſent. Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, quum a procuratore frequentiſſimoque conſilio inſpiceretur nonagenarius ſenex, an circumſectus* eſſet; ad quem locum vide CASAVBONVM.

De altero iuuat pauca dicere, nondum enim res mihi videtur ſatis explicita. In Romanis prouinciis vehicularem curſum primus inſtituit AVGVSTVS, teſte SVETONIO, c. 49. *Et quo celerius ac ſub manum adnuntiari cognoſcique poſſet, quid in prouincia quaque gereretur, iuuenes primo modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit, commodius id viſum eſt, vt, qui a loco perferunt litteras, iidem interrogari quoque, ſi quid res exigant poſſent.* Quemadmodum vero hic vehicularis curſus inſtitutus erat, vt res prouinciarum cito nunciaremur, ita HADRIANI ex inſtituto magiſtratibus curſus fiſcalis dabatur,

ne

ne in prouincias ituri, ſuis impenſis iter facerent. (nam, quod SVETONIVS in *Aug. c. 37.* dicit: AVGVSTVM inſtituiſſe, vt proconſulibus ad mulos & tabernacula, quae publice locari ſolerent, certa pecunia conſtitueretur, puto fortaſſe non ſuffeciſſe hanc pecuniam, atque ideo e ſuis opibus multas impenſas facere debuiſſe magiſtratus) *Statim*, ait SPARTIANVS p. 43. *curſum fiſcalem inſtituit, ne magiſtratus hoc onere grauarentur.* SEVERVS autem, eodem teſte p. 69. C. cum ſe vellet commendare hominibus, *vehicularium munus a priuatis ad fiſcum traduxit*, quemadmodum IVLIVS CAPITOLINVS p. 21. D. de ANTONINO PIO dicit, *illum vehicularium curſum ſumma diligentia ſubleuaſſe.* Nam valde graue onus fuiſſe teſtatur locus AVRELII VICTORIS de TRAIANO in *Caeſar.* c. 13. p. 345. *Simul noſcendis ocius quae vbique e republica gerebantur, admota media publici curſus. Quod equidem munus ſatis vtile in peſtem orbis Romani vertit poſteriorum auaritia inſolentiaque.* Sed qualem aut quomodo NERVA vehiculationem remiſerit, non patet, cum a SEVERO primum ad fiſcum relata ſit: ab HADRIANO autem ille curſus publicus magiſtratibus datus. Suſpicor, inſtitutam ab AVGVSTO vehiculationem prouinciis moleſtam

ſtam fuiſſe, ideoque NERVAM aliquid oneris remiſiſſe. Vnde porro coniicio, NERVAM eam vehiculationem, quae tantum ad nuncios ferendos pertineret, fiſcalem reddidiſſe, cum antea a priuatis cuiusque prouinciae curari deberet: illum in altero genere vehiculationis imitatum eſſe SEVERVM: id eſt, quemadmodum HADRIANVS onere ſubleuarat magiſtratus, pecuniaque ab incolis conferenda eos iter facere voluerat, ita SEVERVM prouincias hoc onere priuaſſe & a ſuo fiſco magiſtratibus pecuniam tribuiſſe. Venit mihi haec quoque coniectura in mentem: an remiſſio a NERVA facta, forte tantum ad Italiam pertinuerit, SEVERIque ad reliquas populi Rom. prouincias. Interpretes virosque doctos, a quibus obſcurae rei explicationem ſperabam, vidi magis etiam rem perturbaſſe.

AD

AD MONIM. CVIII.

Numus exſtat in PATINI *Famil.* p. 196. in VAILLANTII *Fam.* t. 105. in *Theſ. Morell. Fam. Pap.* t. 4. copioſe explicatur ab HANTHALERO in *Praeludio Exercit. dial.* XVIII. p. 152. HAVERCAMPIVS in comment. p. 307. non vaſculum, ſed ſcrinii genus conſpicitur. Vt de tota re accuratius agatur haec notamus, bona cum venia Viri Cl. opinionem examinaturi.

Pappus proprie eſt ſenex auus, vnde eſt verbum *pappare:* quod de infantibus dicitur, balbutiente ore loquentibus patresque appellantibus. Hinc PERSIVS *Sat.* III. 17.

—— at cur non potius teneroque columbo
Et ſimilis regum pueris pappare minutum
Poſcis?

Apud Graecos eſt παππάζειν. Quod apud HOMERVM in Iliad. E. 408. legitur: Ὀυδέ τι μευ παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν, Scholiaſtes ita interpretatur: Πάππα Φωνοῦσι, πατέρα καλοῦντι. ἐτυμολογεῖ τὰς τῶν παίδων Φωνάς. HESYCHIVS: πατέρα προβαγορεύουσι. πεποίηται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῶν παιδίων. ἃ τοῖς πατράσι λέγει πάππα. deinde *pappi* ſunt carduorum flores. vide DACIE-

RIVM

RIVM ad FESTVM p. 331. Pro pulpamento non memini verbum *pappa* aut *pappus* poni. Noui quidem locum NONI II. 97. *Quum cibum ac potionem buas ac pappas vocent & matrem mummam, patrem tatam.* Sed quis non videt, non tam verbum hoc vſu receptum fuiſſe, quam ſcriptum potius infantis prae infirmitate loquendi balbutientis? Apud PLAVTVM in *Epid. V, 2, 62.* quod legitur: *Nouo liberto opus eſt, quod pappes*, nihil probat. Loquitur ibi ſeruus, qui riſum captat ideoque infantilem ſermonem imitatur. Hinc intelligitur *pappam* nunquam fuiſſe Latinum verbum: non magis, quam *buas* aut *tatam:* ideoque gentis Papiae nomen non poſſe inde deriuari. Porro ſi omnes LIV. numos huius gentis, quos MORELLIANVS Theſaurus dat, adſpicias, videbis, quemuis fere aliud ſymbolum additum habere: cuius cauſam & interpretationem non facilius aſſequi poſſumus, quam huius vaſculi, ſi vaſculum eſt, quale eſt etiam in numis XIX. XXXV. & XLIII. Venit mihi coniectura quaedam in mentem certe non omni probabilitatis ſpecie deſtituta. Vaſa vna cum tripodibus & pateris praemia fuerunt illuſtria victorum in certaminibus. In numo aureo, quem SELEVCO I. Nicatori regi Syriae tribuunt, eſt VICTORIA gradiens, dextra coronam, ſiniſtra palmam

mam tenet: infra eſt vaſculum. v. *Muſeum Florentin.* Cl. I. t. 6. & GORIVM in *Obſeru.* T. II. p. 15. p. 123. & T. III. p. 30. Edidit idem GORIVS ibidem T III. t. 75. p. 75. marmoreum ſimulacrum athletae victoris, qui vaſculum, tanquam inſigne victoriae ſuae monimentum, manibus praefert vel potius oſtentat. Pluribus ſi rem auctorum locis confirmatam habere velis lege IAC. WILDIVM ad *Numiſm. ſelect.* p. 126. & EZ. SPANHEMIVM in *epiſt. I. ad Morell.* p. 478. ſeq. Si igitur verum dixit, quod puto, VAILLANTIVS l. c. p. 198. Gryphem, Apollini ſacrum, (certe etiam SIDONIVM memini gryphas currui APOLLINIS iungere in Carm. XXII. 67. adde BEGERVM in *Theſ. Palat.* p. 201.) indicare ludos Apollinares, quos PAPIVS praetor celebrauerit, quam bene conuenit vaſculum!

AD

AD MONIM. CXIV. — CXX.

Hunc numum dat SPANHEMIVS ad *Iuliani Caeſar.* p. 83. & doctiſſime illuſtrat in *Orbe Romano* p. 117. edit. HALENS. GORIVS recenſet falſum huius numi exemplum inter numiſmata *Muſei Florent.* P. II. p. 102. quanquam de ipſa numi veritate non dubitat.

CXVIII. dat VAILLANTIVS in *Famil.* t. 98.
CXIX. Exſtat ibidem t. 44.

CXX. v. GOLTZII *Faſtos* p. 206. & SPANHEMIVM in opere aeterno Diſſ. X. p. 213.

VA1
1541481

Digitized by Google